
DEL VECCHIO

15†
14828
INVENTARIO N. [redacted]

GIORGIO DEL VECCHIO
BIBLIOTECA
47
D
6
UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI FILOSOFIA DEL DIRITTO

CHRISTIANI THOMASII,
Potentissimi Borussiæ Regis Consiliarii intimi,
Universitatis Fridericianæ Directoris ac Professoris Primarii &c.

DE JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA,

Von Recht Des Schlaffs und der Träume.

BIBLIOTECA GIORGI
UNIVERSITÀ DI ROMA

REGIOMONTI ET LIPSIÆ.

Impensis JO. MART. BURGKMANNI,
IN COLLEGIO PAULINO 1712.



B. C. D.

CAPUT I.

De

SOMNO ET SOMNIIS IN GENERE.

SUMMARIA.

Somnus humanus §.1. Sumitur vel improprie pro negligentia vel morte §. 2. Expenditur comparatio Cyri inter somnum & mortem §. 3. 4. 5. Dormientes an ad vivos an ad mortuos sint referendi? §. 6. Somnus peccati, mortis & naturæ. Somnus naturæ definitu difficilis §. 7. Descriptiones Lactantii, Plinii, Scaligeri, Claubergii, Regii, Willisii & du Hamel §. 8. Alcmæonis, Empedoclis, Diogenis, Platonis, Stoicorum, Aristotelis, Leucippi, Democriti & Epicuri sententia de Somno §. 9. An missa definitione rei discursum de re methodice formare possimus? §. 10. 11. An somnus sit actio animæ an corporis? Sedes somni an in pectore sit, an in capite? §. 12. Lactantii peculiaris opinio §. 13. Somnus an cerebrum afficiat, an cerebellum, & quosnam in cerebro spiritus? §. 14. Somnus non afficit animam vegetativam seu vitam §. 15. 16. Arbor dormiens §. 17. Somnus an internos sensus afficiat primario an externos? §. 18. Utrum phantasiam & memoriam? §. 19. Quinam ex sensibus externis a somno afficiantur? §. 20. Sensus in somno non plane cessant, sed tantum sopiti sunt, unde differt ab Ecstasi §. 21. Somnus etiam cadit in bestias §. 22. Anima rationalis est res cogitans §. 23. Quid sit cogitatio? §. 24. 25. An anima quandoque cesset cogitare? §. 26. An in somno cesset? Negantium opinio. §. 27. sententia affirmantium. §. 28. Non tamen semper cessat in somno. §. 29. Dum autem non cessat, eam liberiorem in somno esse putarunt Platonici §. 30. & moderni quidam Philosophi, §. 31. quod refutatur §. 32. 33. 34. An anima in somno futura prævidere possit? 35. 36. Differentia inter somnum homi-

nis & beſtiarum. §. 37. Somnus 1. vel naturalis vel non naturalis, vel præternaturalis vel contranaturalis. §. 38. 2. Vel totalis vel partialis, ubi de noctambulis & horum cauſa §. 39. 40. 3. Vel perfectus vel imperfectus. §. 41. Somnium qvid? §. 42. Somniorum diviſiones varia variorum. §. 43. Sunt 1. vel naturalia, vel divina, vel diabolica. §. 44. De criteriis ſomniorum divinorum §. 45. 2 Vel ſignificantia vel non ſignificantia. An ex naturalibus qvædam ſint ſignificantia? §. 46. 47. 3. Vel vera vel falſa §. 48. 49. 4. vel ordinaria vel diuturna. §. 50.

§. 1.

DUplex qvaſi animalium ſtatus eſt. Aut enim vigilant aut dormiunt. Ille vigilia dicitur; hic ſomnus. Jam cum homo ſit animal & in homine duplex iſte ſtatus locum ſibi vendicat, ut adeo hactenus qvidem æqve de homine ac animalibus reliqvis ſomnus prædicetur. Sed latet nihilominus in acceptione vocum differentia. Nam nulla fere in animo noſtro oriri poteſt hæſitatio, cum de beſtia audimus, qvod dormiat vel ſomnum capiat; at cum homines dormire leguntur, vel ſomnus de iisdem prædicatur, fluctuat mens noſtra, & nonniſi ex aliis circumſtantiis genuinum phraſeos intellectum elicit.

§. 2. Scilicet cum de homine ſermo eſt, dormiendi actus nonnunqvam impropriam habet ſignificationem. Modo enim hominem denotat negligentem & in officio ſuo aut alias peccantem, qvem intellectum innuere videtur Papa Gregorius *a*), modo de homine mortuo prædicatur, ut vel ex SS. Literis notum eſt. *b)* Et ſane tam apud ſacros qvam profanos ſcriptores mortis & ſomni comparatio freqventiſſima. Notus eſt verſiculus Ovidii *c*)

Stulte, qvid eſt ſomnus gelida niſi mortis imago? d)

Et Græcis ſepulchra dicuntur *κοιμητήρια* ſeu dormitoria. Qvemadmodum autem inter mortem & ſomnum infinitæ fere ſimilitudines inſtitui poſſunt, qvas in præſenti non tangam *e*), (& illa mortis & ſomni fraternitas haud dubie apud profanos inde ortum ſuum traxit, qvod omnes fere philoſophi utcunqve varie de natura colligationeqve animæ cum corpore ſenſerint, pro ſuis tamen qvisqve principiis eandem eſſe cauſam tam ſomni qvam

mortis,

mortis ac ſecundum magis & minus ſolum differre exiſtimarunt) *f*) ita notabilis præprimis eſt comparatio Cyri *g*), qvem Cicero ita loqventem introducit *h*): *Videtis nihil morti eſſe tam ſimile qvam ſomnum. Atqvi dormientium animi maxime declarant divinitatem ſuam. Multa enim cum remiſſi & liberi ſunt, futura proſpiciunt. Ex qvo intelligitur, qvales futuri ſint, cum ſe plane corporis vinculis relaxaverint.*

a) *Can. 6. diſt. 86. b*) *vid. I. ad Theſſal. 4. v. 15. c*) *L. 2. Amor. Eleg. 9. d*) *Alia Scriptorum loca collegit Lotichius in notis ad Petronium p. m. 323. e*) *conf. Scultetum lib. 2. Exerc. Evang. c. 54. p. 153. ſeqq. Thomæ a Brovvne Relig. Med. part. 2. Sect. 12. f*) *vid. Plutarch. l. 5. de plac. philoſ. c. 24. & 25. Gaſſend. Tom. 1. de philoſ. Epic. p. m. 274. cujus locum dabimus infra §. 9. g*) *vid. Xenoph. lib. 8. Cyrip. h*) *de Senect. c. 22. p. m. 1264. b.*

§. 3. Voluit hic Cyrus a ſomno argumentum pro immortalitate animæ deſumere: ſcilicet ineſſe qvandam animabus noſtris & tantam divinitatem, ut ipſæ, poſteaqvam in cœlum revolaverint, divinis ornari cultibus mereantur: Harum præterea ſtatum nunqvam vere ac perfecte beatum eſſe intra corpus; itaqve non aliter felices eas eſſe poſſe, qvam ſi ex corporis ergaſtulo ſint liberatæ. Jam cum in hac etiam vita libertatis hujus rudimento qvodam aut præludio fruantur dormientes, inde fieri, ut longe felicior ſit animæ ſtatus ſomniantis qvam vigilantis.

§. 4. Nos uti non negamus, poſſe ex ſtatu hominis ſomniantis declarari immortalitatem animæ & ſtatum ejus poſt mortem, qvorſum ſpectat illuſtris hiſtoria de ſomnio Gennadii, qvam in Epiſtola qvadam ad Evodium memorat Auguſtinus *a*), ita diſſimulare non poſſumus qvatuor in argumentatione Cyri deprehendi errores haud qvaqvam admittendos. Initio enim tribuit animæ noſtræ majorem divinitatis gradum qvam par eſt, ſecutus videlicet eorum gentilium opinionem, qvi ab Epicureis, animas humanas ex potentia materiæ educi, atqve propterea mortales eſſe, docentibus, diſſentientes, ut immortalitatem animarum defenderent, arbitrati ſunt, eas eſſe effluvia divinæ eſſentiæ. Secutum fuit hoc abſurdum & iſta prava opinio, præexiſtentia nimirum animarum ante corpus. Statuerunt qvippe, qvotqvot un-

qvam fuerunt aut erunt, hominum animas universas simul ex illo divinitatis oceano effluxisse, & qvidem, qvod tantam divinitatem decebat, nullis vestitas corporibus; Caeterum cum ad materiæ (qvam coæternam Deo eiqve oppositam simul tradidere Gentiles) contemplationem se dedissent, nescio qva insana materiæ libidine incensas meruisse, ut corporibus veluti compedibus qvibusdam vincirentur; Itaqve nihil aliud esse corpus homini qvam carcerem, vinculum, sepulchrum, vehementerqve eos errare, qvi corpora esse putarent partes homini essentiales, cum totam hominis essentiam sola circumscribi anima judicarent. Hinc ergo esse disputabant ulterius, ut status hominis corpore vestiti haberi beatus nullo modo posset. Unde & illud secutum est porro, ut negarent eam, qvam Christiani credimus, corporum ad beatam vitam resuscitationem, aut, si maxime contingeret remigrare animam in corpora vetusta, nonnisi ad pristinas eam miserias revocari arbitrarentur *b*).

a) *Epist. 100. Tom. II. oper. fol. 446. 447. Ex qvo repetunt Baronius T. V. Annal. f. 370. & Eutherus in Genesin. f. 188. b*) *vid. omnino Excellentiss. B. Dn. Thomasii Schediasma Historic. th. 19. lit. c. th. 35. lit. o. n. 13. th. 37. lit. s. & th. 52. lit. c. n. 37.*

§. 5. Qvemadmodum vero istos de divinitate animæ ac præexistentia animarum errores in dicto loco Cyri saltem indicasse sufficiat, cum inter Christianos neminem confidamus fore, qvi non sufficienter de eorum absurditate informatus sit, ita reliqvi duo ulteriorem merentur disqvisitionem, scilicet qvando tertio Cyrus arbitratur animam dormientis magis liberam esse qvam vigilantis, & qvarto, qvod anima in somno futura prospiciat. Qvas opiniones, cum magis ad naturam somni id faciat, debito loco *a*) in hoc capite excutiemus.

a) §. 32. *seqq.* §. 35. *seqq.*

§. 6. Jam illud saltem notetur, impropriam esse, ut jam tum notavimus, somni acceptionem cum de morte prædicatur, unde non potest non & mortis usurpatio impropria esse, cum ad somnum accommodatur. Hinc patet, qvid de facto Iphicratis vel Epaminondæ (utriqve enim id attribui refert Frontinus *a*) id simul inter stratagemata referens, qvam bene ipse viderit)

sen-

ſentiendum ſit, qvi cum vigilias circumiret, vigilem, qvem dormientem viderat, transfixit cuſpide, qvod cum aliqvi tanqvam ſævum nimis increparent. *Qvalem*, inqvit, *inveni, talem reliqvi.* Uti enim hæc ejus excuſatio acute qvidem dictis annumerari poteſt, ſic ex ſola mortis cum ſomno convenientia factum ſuum a crudelitate purgare minime poterat: ſed aliis rationibus pro juſtitia ejus demonſtranda erat opus, de qvibus infra ſuo loco *b*) Similiter neqvaqvam leges bonæ interpretationis obſervavit Talismanes, ſacerdos Turcicus, dum Solymanno, Turcarum Imperatori, qvi Ibrahimo miniſtro ſuo juraverat, qvod ipſi vivo vitam non ſit erepturus, fvaſit, ut dormientem interfici curaret, cauſatus, dormientes non inter vivos recenſeri poſſe. *c*)

a) *lib. 3. Strategem. cap. 12. n. 2. & 3. b*) *c. 5. §. 31. c*) *vide Illuſtr. Dn. Pufend. de J. N. lib. 4. c. 2. §. 12. p. 505.*

§. 7. Qvemadmodum igitur ad vocis ambiguitatem tollendam ſpectat diſtinctio communis & Theologis præprimis non infreqvens inter ſomnum peccati, *a*) mortis, & naturæ, qvarum priores duæ ſpecies ad ſignificationes dormitionis improprias, de qvibus hactenus, pertinent; ita ſcopus noſtræ diſſertationis eſt ſomnus proprie ita dictus qvi naturæ dicitur. Hujus vero naturam pauliſper & pro inſtituti ratione exponere cupientibus ſtatim occurrit verſiculus Stigelii *b*):

Naturam ſomni dicere nemo poteſt.

Qvin imo ex judicio acutiſſimi Angli Thomæ Williſii, *c*) ſomni, qvem qvotidie experimur & patimur, qvæ ſit ratio formalis, eſſentia & cauſæ, fere in totum neſcitur. Hinc non mirandum, qvod tam varie ab eruditis tradantur ſomni definitiones, qvarum tamen neutra forte ſe probat omnibus.

a) *Peccati cum Somno comparationem vid. ap. Balduin. Homil. Ep. p. 9. b*) *Lib. I. Poëm. p. 229. c*) *de Anima Brutorum Part. I. c. 16. p. m. 128.*

§. 8. Lactantius *a*) opinatur, ſomnum eſſe ceſſationem ſenſuum, mente imaginationes contemplante, qvæ definitio parum abludit ab illa Plinii Hiſtor. Nat. l. 10. c. ult. qvi Somnum vult eſſe receſſum animi in medium ſeſe. Scaliger *b*) Somnum definit, qvod ſit occupatio naturalis ſenſuum exteriorum, retractis intro

animæ instrumentis ad principia sua. Claubergius *c*) dicit esse statum qvo sensus naturaliter impediti a suis functionibus cessant. Distinctius procedit Henricus Regius *d*) somnum finiens ventriculorum cerebri & nervorum eorumqve pororum considentiam & angustationem a deficiente justo motu vel copia spirituum animalium originem ducentem, qva sensoria sistuntur & inepta fiunt ad motus objectorum ad cerebrum & sensorium commune usqve deferendos. Ipse Willisius *e*), cum qvo hactenus consentit Joh. Baptista du Hamel *f*), somni rationem formalem in eo consistere statuit, qvod major ista animæ sensitivæ pars, qvæ in cerebro radicata & exinde in plurimas corporis partes diffusa functionis cujusqve spontaneæ Autor est, *g*) expansionem suam qvasi vela dimittat, intra sese subsideat, suoqve intra proprium sinum velut capite recondito, nihil qvod extra sit respiciat aut curet, adeo, ut spirituum tum emanatione in globosam cerebri partem, tum irradiatione in nervosum genus, cessantibus sensuum & motuum spontaneorum tum interiorum tum exteriorum actus supprimatur: Breviter: Somnum esse spirituum vacationem & partium eos continentium irrigationem *b*).

a) *de opif. Dei c. 18. p. m. 888. b*) *ad Arist. de Plantis p. 120. 121. c*) *Theoria corporum viventium n. 963. p. m. 348. d*) *in Philos. Naturali lib. 4. c. 16. p m. 372. e*) *de Anima Brut. d. l. p. 130. f*) *de corpore animato l. 3. c. 6. p. 654. g*) *qvam opponit parti animæ sensitivæ minori, qvæ in cerebello radicata exinde in præcordia, viscera & qvadam alia corpora protensa functionis vitalis & mere naturalis, qvorum scilicet actuum animal haud conscium est, parens existit. b*) *d. l. p. 132.*

§. 9. Antiqvos qvod attinet Philosophos, eorum sententias de somno pariter & morte, ex Plutarcho *a*) in compendium qvasi contraxit doctissimus Gassendus *b*): Alcmæon *existimans somnum ex recursus in venarum capita fieri, putat, si receptus omnimode fiat hanc ipsam esse mortis causam.* Empedocles *opinatus somnum ex moderata caloris, qvi in sangvine, refrigeratione esse, autumat, si omnimoda refrigeratio fuerit, mortem inde existere.* Diogenes *credens somnum tum fieri, cum aër per venas diffusus, in regiones ventris pectoris q. recipitur, censet, si universus aër deserat venas, consequi mor-*

mortem. Plato, Stoiciqve *arbitrati ſomnum ex remiſſione Spiritus ſenſibiliore conſingere, ſubjiciunt mortem ex omnimoda remiſſione evenire.* Ariſtoteles *ſtatuens, ſomnum eſſe ex refrigeratione, qva poſt ſuſceptam a cerebro ex alimento ſubjecto evaporationem cordi advenit, cuetur mortem accidere, ſi refrigeratio omnimodo fiat. Denique* Leucippus, *& cum eo* Democritus & Epicurus *ſomnum petens ex ſecretione tenuiorum caloris animalis partium defendit, nimiam ſecretionem mortis cauſam evadere.* Plura de ſententia Ariſtotelis videri poſſunt in ipſius libello de Somno *c*), Epicuri doctrinam ſummatim exhibet Diogenes Laërt. *d*) fuſius exponit Poëta Epicureus Carus Lucretius *e*) & poſt eum Gaſſendus *f*.)

a) de placit. Philoſ. l 5. c. 24. & 25. b) de Philoſ. Epicuri Tom. I p. m. 274. c) potiſſimum cap. 3. d) de Vitis Philoſoph. lib. 10. e) de rerum natura lib. 4. f) d. l. p. 281. ſeqq.

§. 10. Jam in hac ſententiarum diverſitate qvid dicemus? Neqve enim ſola diſtinctio inter ſomnum pro actu & ſtatu *a*) ſumtum differentias opinionum tollet, neqve correctio Galeni qvam definitioni Somni Ariſtotelicæ adhibuit *b*) reliqvis ſufficiet, præprimis cum nec ipſius Galeni definitio omnibus probetur. *c*.) An igitur in re tam ardua & difficili vires noſtras tentabimus, & veram ac accuratam ſomni definitionem exhibebimus? An vero omiſſa ejus deſcriptione tanqvam ſupervacua de jure circa ſomnum diſſerere auſpicabimur? Illud & prolixum nimis ac tædioſum eſſet, qvin & ultra ingenii noſtri vires, deſtituti videlicet prudentia anatomices, ſine qva præſens doctrinæ exponi diſtincte haud poteſt; Hoc vero contra officium boni diſputatoris foret, de prædicatis rei, qvam non intelligit (qvomodo vero abſqve definitione qvis rem intelligat? velle diſqvirere. Et profecto freqventiſſime evenit, ut qvi ſine accurata terminorum expoſitione tractationes rerum oriuntur, & ſibi & lectoribus imponant ſuis, more andabatarum cum adverſariis, qvos ſibi faciant, pugnantes. Qva propter ſedulo nobis danda eſt opera, ne, qvod in proverbio eſt, dum Scyllam vitamus, incidamus in Charybdin.

a) vide B. Dn. Thomaſii Phyſicam c. 50. q. 31. & 32 b) vid. Thom. à Brovvne relig. Medici Part. 2. Sect. 2 p. m. 418. c) vid. eund. d l.

§. 11. Sed ſalva res eſt. Opus videlicet definitionibus

eſt

est in rebus potissimum moralibus, ab impositione hominum dependentibus, secundum varias scriptorum hypotheses sæpissime variante. At in rebus naturalibus, præterqvam qvod nostrum intellectum communiter essentiæ rerum lateant, inqve iis omnis scientia nostra dependeat a sensibus, facilius mentem tuam exponere alteri poteris, si rem ipsam, qvam si ejus definitionem proponas, præprimis si non constitueris de natura rei disserere. Trita & in omnibus libellis Logicis inculcata hominis definitio obscurior est, qvam si hominem nomines: Qvæ omnia inde provenire videntur, qvod voces, qvæ rebus naturalibus sunt impositæ statim a prima pueritia nobis occasione accidentium, sensus nostros immediate ferientium, qvalitatum v. g. & qvantitatum visibilium, imprimantur, definitiones vero a sensibus abstrahere & rem ipsam sensus non raro latentem sepositis accidentibus tradere intendant. Ergo cum nostri instituti minime sit, discursum physicum aut medicum de somno instituere, sed tantum, qvid justum sit circa somnum pauliſper ostendere, & vero nemo sit, qvi non qvotidie somnum experiatur, veniam sperabimus, qvod qvæ apud Philosophos de definitione somni tradita collegia, saltem per modum historiæ apposuerimus, Nec timemus nos a qvoqvam hac de re in angustias redactum iri, ne in Ovidii versiculo supra *a)* receasito ultimum qværere cogamur refugium.

a) §. 2.

§. 12. Eadem libertate narrabimus variantes variarum qvæstionum, naturam somni concernentium decisiones, nisi qvod aliqvando duobus verbis indicabimus, qvænam ex istis præ altera nobis arrideat magis, vel certe qvænam ratione firma destitui nobis videatur. Et initio qvidem id recte nobis docuisse videtur Aristoteles *a)* somnum esse actionem corpori & animæ communem, non animæ propriam, nec etiam corpori, qvod posterius putavit Anazagoras *b)* sed in eo iterum aberrasse videtur Aristoteles, qvod statuit somni principium esse in corde vel in parte qvæ circa cor est *c)*, qvæ sententia haud dubie ex illa profluxit hypothesi, qvod arbitratus est, sedem animæ esse in corde *d)*, qvam opinionem vel certe affinem, ex antiqvis insuper defenderunt, Parmenides, Epicurus, Diogenes ac Stoici *e)*. Diogenes certe

certe propter iſtam hypotheſin de principali ſede animæ ſubjectum ſomni, pectus facit *f*). Sed cum hodie ex communi Phyſicorum atqve Medicorum doctrina iſta de ſede animæ in corde doctrina, tanqvam veritate haud conveniens, de ponte qvaſi dejecta ſit, & principatus capiti vel cerebro vindicatus, qvam ſententiam jam ex antiqvis qvoqve arripuerunt Plato, Democritus, Strato, Eraſiſtratus, Herophilus, & certo reſpectu etiam Pythagoras *g*), non poteſt non iſta de ſomni principio in corde ſimul corruere, niſi qvis forte ſingularem Lactantii ſententiam velit defendere.

a) de Somno c. 1. b.) vid. Plutarch. de placit. Philoſ. l. 5. c. 25. c) d. l. cap. 2. d) colligere licet hanc ejus ſententiam ex d. c. 2. ut mirer Plutarchum in loco mox citando ſententiam Ariſtotelis omiſiſſe. e) Plutarch. de placit. Philoſ. l. 4. c. 5. f) vid. ſupra §. 9. g) Plutarch. d. l.

§. 13. Hic enim mentem ſeu animum, (per qvem intelligit ſenſum cœleſtem ac vivum *a*), ſeu ut alibi clarius loqvitur, id qvo ſentimus & ſapimus *b*) ſtylo Peripateticorum animam rationalem & ſenſitivam) dominatum corporis tenere ait, & in ſummo capite conſtitutam eſſe tanqvam in cœlo Deum, ſed qvando in aliqva ſit cogitatione, commeare ad pectus & qvaſi ad ſecretum aliqvod penetrale cedere, ut conſilium tanqvam ex theſauro recondito eliciat ac proferat, ideoqve cum intenti ſumus ad cogitandum, & cum mens occupata in altum ſeſe abdidit, nos neqve audire qvæ circum ſonant, neqve videre qvæ obſtant ſolere *c*) Porro de ſomno alibi *d*) ſic diſſerit: corpus tunc demum reſolvi in qvietem, cum mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta eſt. Traduci vero mentem cogitatione cœca (per qvam a Lactantio intelligi Phantaſiam notat Betulejus *e*) cum cogentibus tenebris ſecum tantummodo eſſe cœperit, dum intenta eſt in ea, de qvibus cogitat; tum vero repente ſomnum obrepere, & in ſpecies proximas ſenſim ipſam cogitationem declinare, & ſic ea qvæ ſibi ante oculos poſuerat videre qvoqve incipere, deinde ulterius procedere & ſibi avocamenta invenire, ne ſaluberrimam qvietem corporis interrumpat &c. Ex his patet, Lactantium ſedem qvidem mentis poſuiſſe in capite, ſed nihilominus initium

BIBLIOTECA GIORGIO UNIVERSITÀ DI ROMA

somni fieri in pectore statuisse. Verum de hac Lactantii opinione forte dicemus in seqventibus *f*)

a) de opif. Dei c. 16. p. m. 881. b) d. l. c. 18. p. m. 886. c) d. c. 16. p. 881. d) d. c. 18. p. 888. e) ad d. c. 18. p. m. 887. f) conf. §. 15. 19. 27.

§. 14. Qvi animæ sedem hodie incapite collocant Doctores; collocant vero, ut diximus, communiter eruditiores, ii & somni subjectum haud dubie facient caput. Cæterum qvam capitis vel etiam cerebri partem primario somnus afficiat, hic non definiemus: Willisius *a)* subjectum immediatum esse putat spiritus animales, a cerebro h. e. a parte cerebri exteriori, corticali, qvam & memoriæ sedem esse dicit, oriundos, & qvi functionum voluntariarum autores sunt, non vero spiritus in cerebello procreatos ibidemqve sensuum & motuum naturalium instinctus impetusqve excipientes, & exinde functiones vitales ac nutritivas in præcordiis dirigentes; subjectum vero mediatum cerebrum ipsum, non cerebellum, partesqve omnes sensiles ac motrices, qvæ cum cerebro communicant. Sed du Hamel *b)*, etiamsi in plerisq; sententiam Willisii approbet, in qvibusdam tamen ab ipso secedit, dum scilicet asserit somnum nervos potius occupare qvam cerebri corticem *c)* Sed hanc litem meam non facio.

a) d. c. 16. p. 129. 130. b) d. l. 3. c. 6. c) d. l. §. 4. p. 653.

§. 15. Potius dispiciendum, utra animæ facultas somno afficiatur, utrum vegetativa, an sensitiva an rationalis? Nihil autem hic interest, utrum statuas unam in homine animam tribus facultatibus præditam, utrum tres, utrum duas, modo non neges alias esse functiones animæ humanæ, qvibus homo vivit & nutritur, alias qvibus sentit, aliasqvibus ratiocinatur. Qvod si plane controversiæ statum secundum hypothesin plerorumqve modernorum Philosophorum formare velis, animæ solam rationem, sensum autem (externum) & vitam, non improbabiliter corpori adscribentium; ita dicendum erit: An somnus vitam afficiat, an sensum, an deniqve rationem? Qvod itaqve vegetativam attinet, stylo modernorum vitam, ex communi tam antiqvorum qvam hodiernorum Philosophorum sententia somnum ad facultatem nutrientem non spectare constat *a)*. *Non est idem*, inqvit iterum

Lactan-

Lactantius *b) mens & anima; aliud est enim qvo vivimus c) aliud qvo cogitamus, d) nam dormientium mens, non anima sopitur, & in furiosis mens extingvitur, anima manet, & ideo non examines sed dementes vocantur: Mens autem, id est, intelligentia vel augetur vel minuitur pro ætate. Anima in statu suo semper est, & ex qvo tempore spirandi accepit facultatem, eadem usqve ad ultimum durat, donec emissa corporis claustro ad sedem suam revolet.* Idem alibi: *e) Sequitur alia qvæstio: Idemne sit anima & animus, an vero aliud sit illud, qvo vivimus, aliud autem qvo sentimus & sapimus? Qvi dicunt esse diversa, sic argumentantur, ex eo posse intelligi, aliud esse mentem, aliud esse animam, qvia incolumi anima mens possit extingvi, qvod accidere soleat insanis, item qvod anima morte sopitur, animus somno, & qvidem sic, ut non tantum qvid fiat aut ubi sit ignoret, sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur.* Ex neotericis conferatur Willisius *f)* & du Hamel *g)* qvorum ille potius per somnum facultatem nutrientem incrementum accipere autumat, dum statuit *h)* sangvinem in somno plus accendi, & propter caloris augmentum melius nutritionem promovere. Sed qvemadmodum du Hamel non sine ratione negat *i)* calorem sangvinis in somno incendi, ita nec absurde adversus utrumqve dubitare posses, utrum in somno melius perficiatur nutritio qvam in vigilia. Certe longe majori tempore opus esse, ut in somno absolvatur concoctio, qvam eo cessante, qvotidie experimur. Ergo nobis sufficiat, propter somnum non cessare nutritionem & actiones vitales.

a) vid. Clauberg. Theor. corp. viventium c. 22. n. 491. seqq. b) lib. 7. divin. instit. c. 12. p. m. 684. c) id animam vocat, ut ex sequenti loco patebit, d) per hoc mentem intelligit, cui & sensum attribuit in loco seqv. ubi & animum vocat conf. §. 13 supra. Ergo per animam intelligit ex stylo Peripateticorum facultatem nutritivam homini cum plantis communem. e) de opif. Dei c. 18. p. 886. seqq. f) d. l. p. 130. seqq. g) d. l. p. 654. §. 2. h) d. l. p. 136. 137. i) d. p. 654. §. 2. & 3.

§. 16. Neqve obstat huic sententiæ qvod Plinius *a)* dicat, *dimidio qvemqve spatio vitæ suæ, æstimatione nocturnæ qviet is vivere*, cui analogum docuit Plato *b) neminem dum dormiat alicujus pretii esse, non magis qvam si non vivat*, eoqve spectat dictum Aristonis:

c) Vivendi breve tempus homini datum, qvoniam ſomnus veluti publicanus dimidium aufert. Qvemadmodum enim hæc non de vita proprie dicta intelligenda eſſe argumento eſt, qvod alibi *d)* aſſerat Plinius *ſine reſpiratione ſomnum non fieri,* cum reſpiratio ſit actionum vitalium præcipua; ita haud dubie in his dictis vel reſpectus fuit habitus ad comparationem ſomni cum morte *e)* vel etiam per vitam inibi ſenſio aut ratiocinatio intelligitur, de qvibus dicemus in ſeqventibus. Qvod vere ſubtilis Scaliger *f)* putet, in ſomno ceſſare τὸ γενητικὸν & ita ſomnum ad actiones animæ vegetativæ referat, in eo jam ſatis fuit notatus a Sam. Pomario *g).*

a) Hiſt. Nat. l. 7. c. 50. b) de legibus l. 7. p. m. 892. c) vid. Anon. not. ad Plin. d. l. 7. c. 50. d) H. N. l. 9. c. 7. e) de qva ſupra §. *2. ſqq. f) exerc. 289. g) diſſert. poſter. de noctamb. in Proœm.*

§. 17. Ex his autem ſua ſponte fluit, qvod & Ariſtoteles inculcat, *a)* ea qvæ augentur ſolum & minuuntur, absqve ſenſu, ut ſtirpes ac plantas, ſomno & vigilia deſtitui. Non eqvidem eſt ignotum Botanicis, inter plantas ac arbores etiam referri ſolere arborem dormientem, qvam ex Piſone & Marcgravio delineat Jacobus Bremius *b)* ſub titulo arboris ſiliqvoſæ Braſilianæ ſecundæ, aut, prout Braſilianis audit Graibi pocacabiba; ſed & ſimul notum eſt, qvod ea arbor dormiens appelletur ſaltem per metaphoram, qvod folia ejus noctu conniveant, & oriente ſole iterum ſe aperiant, meridie plane explicent, & hinc rurſus paulatim in noctem ſe componant.

a) de Somno c. 1. p. m. 541. & 543. b) exoticarum plantarum cent. 1. p. 28. ſeqq.

§. 18. Afficit vero ſomnus facultatem ſentientem, ut recte iterum Ariſtoteles, *a)* neqve conſtat, hac in parte alicujus diſſenſum eſſe metuendum. Sed cum tres communiter numerentur ſenſus interni, communis, phantaſia & memoria, & qvinqve externi, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus & Tactus (liceat enim hactenus ita per modum hypotheſeos præſupponere) in eo ſtatim diſſenſum deprehendemus, utrum ſomnus ad internos ſpectet ſenſus, an ad externos, & utrum ad eorum omnes ac ſingulos, an tantum ad qvosdam. Ariſtoteles dum ſomnum nexum & vinculum primi ſenſorii appellat *b)*, aperte ſatis oſtendit, qvod opinatus

natus fuerit, ſomnum primario afficere ſenſum communem. Contra cum Regius *c*) ſomnum dixerit eſſe anguſtationem cerebri, per qvam ſenſoria ſiſtantur & inepte fiant ad motus objectorum ad ſenſorium commune deferendos, patet, qvod ex hujus opinione ſomnus primario ſenſus externos, & his demum mediantibus ſenſum communem afficiat.

a) *de Somno c. 1. p. m. 541. b*) *d. l. c. 3. in fin. p. m. 549. conf. cap. 2. p. 543. c*) *d. l. 4. philoſ. nat. c. 16. p. m. 372.*

§. 19. Sed in his qvidem erimus faciles, cum hæc diſqviſitio magis ad conceptus pertineat, qvam ad rem ipſam. Sufficiat, qvod communiter defendi ſoleat, ligari in ſomno ſenſum communem. De phantaſia vero ac memoria qvid dicemus? Iſta ſententia nobis haud improbabilis videtur; in ſomno qvem nulla comitantur inſomnia & has ligari, ſecus atqve in eo, in qvo ſomnia habemus, *a*) qvamvis diſſentiat Pomarius *b*) Sennertum *c*) ſecutus, qvi vult Phantaſiam in ſomno continuo labore exerceri nec ligari, aut ſi interdum in ſomno non operetur, non id ideo fieri, qvod ejus affectio ſomnus ſit, ſed qvia a ſenſibus externis nihil ad illam deferatur, circa qvod verſari poſſet. Nec dubium eſt, qvin & Lactantius fuerit opinatus, phantaſiam atqve memoriam nunqvam in ſomno qvieſcere, qvoniam rationali animæ, qvam ſine memoria & phantaſia vix concipere poſſumus, qvietem omnem in ſomno adimit *d*).

a) *vid. B. Dn. Jac. Thomaſii Phyſic. c. 50. n. 38. ſeqq. b*) *diſſert. poſter. de noctamb. in proœm. c*) *Epit. Nat. Scient. l. 7. c. 9. d*) *vide qvæ ex eo adduximus §. 13. & 15.*

§. 20. Major adhuc lis eſt de ſenſibus externis. Alii enim eos omnes in ſomno ligari arbitrantur *a*); alii ſomni multas eſſe ſpecies profitentur, unam qva ſenſus omnes & motus voluntarii ligati ſunt alteram, qva vel non ſenſus omnes ſunt ligati, vel ſenſus ipſi qvidem, motus autem voluntarii non *b*). Poſterior ſententia nobis magis irridet, ſed nova inde ſuboritur controverſia, qvorum ſenſuum externorum qvies ſomnum denotet. De la Forge *c*) ſufficere putat, ſi ſolum viſus & auditus ligentur; Sed qvod viſum attinet, credimus ſomnum etiam eſſe poſſe, etiamſi viſus officium ſuum faciat, qvod facile demonſtrari poteſt,

variis experimentis hominum, tempore æstatis somno meridiano aliqvatenus indulgentium, oculisqve semiapertis etiam in ipso somno objecta oculorum distincte percipientium. Auditum vero non semper cessare vel exempla noctambulonum docent, non raro ad qvæsita respondentium *d*). Regius *e*) eo inclinare videtur, somnum esse qvicunqve demum ex sensibus fuerint ligati. Aristoteles ad tactum potissimum respexit, qvem non absurde a cæteris sensibus divelli posse dixit, a tactu cœteros non ita *f*). Nobis non videtur improbabile asserere, ligationem solius olfactus nihil inferre, neqve gustus etiam; sufficere tamen ad somnum, si tactus & visus, vel tactus & auditus operationes cessent, præprimis si simul cessent motus animales.

a) *vid. B. Dn. Thomasii Physic. d. l. qv. 38. b*) *Hier. Fracastorius l. 2. de intellect. c*) *comment. ad Cartes de homine p. m. 180. d*) *de qvibus infra §. 39. 40. Conf. interim Regium d. l. p. 372. & locum P. Salii Diversi adductum a Pomario d. l. e*) *ibid f*) *de Somno c 2. p. 543.*

§. 21. Dum autem dicitur, sensus qvosdam cessare in somno, non ita accipiendum est, ac si sensus expertes penitus sint sensionis, sed saltem qvod difficulter sentiant, per objecta vero vehementiora ipsi sensus qvasi expergefiant. Inde homines excitantur sæpius per nimium clamorem, per dolorem membris illatum, per candelam oculis admotam &c. *a*) Si enim secus fiat, & ne vehementiora qvidem sensibilia homo percipiat, præter naturam aliqvid accidit homini, neqve sopor dicendus est, sed stupor, qvalis deprehenditur in Ecstaticis, qvi licet variis modis vexati qvassatiqve, aut aciculis compuncti, non excitantur tamen ad tempus satis longum *b*.)

a) *conf. Sennert, instit. Medic. l. 2. part. 3 f. 2. c. 4. p. 407. b*.) *conf. Pomarium d. l.*

§. 22. Qvia vero Somnus affectio sensuum etiam externorum est, inde verisimile qvoqve redditur, qvod Aristoteles *a*) tradit, omnia animalia dormire, qvod & in specie piscibus probare intendit Plinius *b*).

a) *d. l. c. 1. p. m. 541. seqq. b*) *Hist. Nat. l. 9. c. 7. conf. eund. l. 10. c. ult.*

§. 23. Re-

§. 23. Reſtat anima rationalis. Atqvi de ea prius conveniendum qvid ſit. Renatus des Cartes, Vir ingenii maximi ſummæqve modeſtiæ *a*) omnium optime mentem ſeu animam rationalem deſcripſiſſe videtur nobis, qvod ſit res cogitans *a*), nec metuimus nobis opponi: angelos eſſe etiam res cogitantes, atqve igitur hoc pacto differentiam inter animam hominis & angelum non oſtendi. Nam abſqve ulla abſurditate arbitramur, nos poſſe negare iſtam angeli definitionem, de alia tamen meliore nos non debere eſſe ſollicitos, cum angelus ſit ens ſupra intellectum noſtrum poſitum, neqve adeo objectum ſcientiæ, ſed fidei. *c*)

a) *ita vocatur a ſuo adverſario in object. prim. ab init. p. m. 54. b*) *vid. ejus medit. 2. p. m. 11. & notas in program. artic. 1. p. 211. c*) *aliter huic dubio occurrit Clauberg. Theor. Corp. vivent. n. 613. p. 324.*

§. 24. Ne tamen obſcurum exponamus per rem obſcuriorem, videndum ſimul erit, qvid ſit cogitatio, Igitur ante omnia præſupponimus, cogitationem non eſſe facultatem, qvæ et in bruta cadat *a*), ſed actum vel facultatem homini peculiarem. Clariſſimus Beemannus *b*) Cogitationes noſtras dicit eſſe ſeriem imaginationum, h. e. ſucceſſum unius imaginationis ad aliam, qvod haud dubie hauſit ab Hobbeſio *c*), qvanqvam hic imaginationem & cogitationem plane pro ſynonymis videatur habere. *Per ſeriem imaginationum* ait, *intelligo ſucceſſionem unius cogitationis ad aliam, qvam appello diſcurſum mentalem.* Qvicqvid ſit, cum Hobbeſius imaginationem dicat eſſe homini cum beſtiis communem *d*), & intellectum, qvem & ipſum brutis tribuit, faciat ſpeciem imaginationis *e*); hinc patet, qvod nec hæc deſcriptio cogitationis qvadret ad ſcopum noſtrum.

a) *vide Fromond. de anima p. 719. b*) *lin. doctr. moral. c. 2. §. 12. 9. Levirth. cap. 3. init. p. m. 9. d*) *ibid. c. 2. p. 5. e*) *d. c. 2. p. 8. & 9.*

§. 25. Rem forte non melius explicabit, qvam qvi animam ita definivit, acutiſſimus Carteſius. Sic autem definit: *a*) "*Cogitationis nomine complector illud omne, qvod fit in nobis eſt, ut ejus immediate conſcii ſimus. Ita omnes voluntatis, intellectus, imaginationis & ſenſuum operationes ſunt cogitationes.* Hanc autem

autem ſuam definitionem clarius exponit alibi. *b*) *Omnes modi cogitandi, qvos in nobis experimur, ad duos generales referri poſſunt: qvorum unus eſt perceptio ſive operatio intellectus, alius vero volitio ſive operatio voluntatis. Nam ſentire, imaginari & pure intelligere ſunt tantum diverſi modi percipiendi, ut & cupere, averſari, affirmare, negare c), dubitare ſunt diverſi modi volendi.* Ex dictis vero patet, Carteſium per τὸ *ſentire* & *imaginari* non intelligere actus homini cum brutis communes, ſed potius perceptionem ſenſus & imaginationis ab anima factam *d*). Nos, ut breviter ſententiam exponamus noſtram, cogitationem nihil aliud arbitramur eſſe, qvam de re per ſenſus & imaginationem arrepta internam affirmationem vel negationem vel qvæſtionem. Utrum autem hæc expoſitio cum Carteſiana accurate conveniat, an minus, non disqviremus. Notum certe eſt, Carteſium in explicatione τῦ *cogito* nimis abſtrahere a ſenſibus, nobis vero arridet iſta opinio, nihil eſſe in intellectu, qvod non prius fuerit in ſenſu *e*).

a) *in meditat. p. m. 104. b*) *princip. philoſ. part. 1. aph. 32. p. m. 10. c*) *malim affirmationem & negationem dicere modos diverſos percipiendi d*) *vid. omn. ejus meditat. 2. p. m. 12. & 13. e*) *Sed exponenda eſt hæc regula ſecundum ductum B. Dn. Thomaſii in Phyſica c. 49. qv. 70.*

§. 26. Eſt igitur anima *res cogitans.* Sed cave intelligas rem actu ſemper cogitantem, cum potius denotetur ens facultate ſeu potentia cogitandi præditum. Qvænam Carteſii hic fuerit opinio, non diſqviram. Pro actu videntur militare ſeqventia ejus verba *a*): *Cogitatio ſola a me divelli neqvit, ego ſum, ego exiſto, certum eſt. Qvamdiu autem? nempe qvamdiu cogito. Nam forte etiam fieri poſſet, ſi ceſſarem ab omni cogitatione, ut illico totus eſſe deſinerem. Nihil nunc admitto, niſi qvod neceſſario ſit verum &c.* Contra pro facultate, dum alibi *b*) ait: *neminem ante ſe, qvod ſciat, animam in ſola cogitatione ſive cogitandi facultate ac interno principio ad cogitandum, conſiſtere aſſeruiſſe c*) Poterit igitur anima humana qvandoqve ceſſare a cogitandi actu. De ſomno mox videbimus. An & vigilante homine ceſſet aliqvando, dubium. Affertur eqvidem a qvibusdam id contingere poſſe, ſi ali-

ſi aliqvis clauſis oculis, in ſomno conſtitutus ſilentio, nihil percipiat externis ſenſibus, neqve cogitandi cauſam habeat gravem, in maximo otio & rerum omnium ſecuritate conſtitutus; item id evenire regulariter in illo vigiliæ ad ſomnium tranſitu, hic enim ipſas etiam animi cogitationes internas, anteqvam ipſe ſomnus ſuis numeris abſolutus vere obrepat, ceſſare; Hoc enim ni eſſet, utut clauſi ſint oculi & cæteri etiam ſenſus qvieſcant, dormitionem non evenire, hinc enim fieri, ut mœſti aut curis affecti dormire non poſſint, aut ſi cœperint dormire, rurſus evigilantes in cogitationes, qvibus obicem ponere non poſſint, incidant, ita ut redormire non qveant. Sed neutrum horum nobis videtur probabile, & aliam putamus ſubeſſe cauſam vigiliæ in mœſtis vel etiam in iratis, qvam tamen explicare huc non ſpectat. Id magis vero eſt ſimile, infantes recens natos per non contemnendum temporis ſpatium nihil cogitare, qvo haud dubie etiam reſpexerunt Philoſophi antiqvi, dum dixerunt, infantes vivere vitam animalis.

a) medit. 2. p. 11. b) in not. ad program. p. m. 211. c) Communiter tamen Philoſophi Carteſiani animam pro actu cogitandi habent. De Clauberg. conſ. §. ſeq. in fine. Antonius le Grand, qvi alias principia Carteſii diſtincte propoſuit, latius eam doctrinam defendere laborat, Inſtit. Philoſoph. part. 9. artic. 1. p. m. 543. iſto potiſſimum argumento utens, ſi anima non ſemper cogitat, aut ideo ſit, qvod non poſſit, aut qvod non velit. Si prius, neqve erit potentia adeoqve nihil foret, ſi poſterius; cogitat, qvia & velle ac nolle ad cogitationes pertinet.

§. 27. Jam igitur qvid ſtatuemus de ſomno? Media incedemus via, inter extrema duo, qvorum unum animam nunqvam in ſomno qvieſcere, alterum e contrario vult eam ſemper ceſſare, qvoties homo dormit. Prius arriſit Lactantio: *Qvies* ait *a) aut ſomni res eſt, aut mortis; ſed nec ſomnus habet qvietem; nam cum ſoporati ſumus, corpus qvidem qvieſcit, animus autem irrequietus agitatur; imagines ſibi, qvas cernat, effingit, ut naturalem ſuum motum exerceat varietate viſorum, acciatqve ſe a falſis dum membra faturentur, ac vigorem capiant, denique reqvies ſempiterna ſolius mortis eſt.* Ulterius mentem Lactantii illu-

 ſtrabunt

ſtrabunt loca alia ejusdem jam ſupra *b)* a nobis adducta, in qvorum poſtremo *c)* etſi dicat in ſomno animum *ſopiri* per ſomnum, nulla tamen in illa phraſi ſubeſt contractio, cum & animum ita ſopitum res falſas contemplari ſtatim ſubjungat, atqve ſic neqve ſopitum qvieſcere arbitretur. Res patet ex iis qvæ alio loco diſſerit *d) Mens & animus tantæ mobilitatis eſt, ut ne tum qvidem, cum ſopitus eſt, conqvieſcat.* Et iterum; *e) Latet mens oppreſſa ſomno tanqvam ignis obducto cinere ſopitus, qvem ſi paululum commoveris rurſus ardeſcit, & qvaſi evigilat. Avocatur ergo ſimulacris, donec membra ſopore irrigata vegetentur. Nam ſi nullas imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe eſt, aut perpetua morte ſopiri.* Similia fere habet Lucretius *f)*.

Principio ſomnus, ſit ubi eſt diſtracta per artus
Vis animæ, partimqve foras ejecta receſſit:
Et partim contruſa magis diſceſſit in altum. — —
Tum nobis animam perturbatam eſſe putandum eſt;
Ejectamqve foras non omnem: namqve jaceret
Æterno corpus perfuſum frigore leti.
Qvippe ubi nulla latens animai pars remaneret
In membris: cinere ut multo latet obrutus ignis:
Unde reconflari ſenſus per membra repente
Poſſit: ut exigni tecto conſurgere flammæ?

Porro animam hominis nec in ſomno ceſſare Claubergii Philoſophi Carteſiani opinio eſt. *g) Sive autem ſomniet homo ſive non, animus ne qvidem in profundiſſimo ſomno ab omni cogitatione ceſſat. Sic enim ceſſans exiſtere deſineret eſſentiam ſuam, qvæ in cogitando poſita eſt, amittens.* Sed Claubergio jam ſatisfecit B. Dn. Thomaſius. *h)*

a) de ira Dei c. 17. p. m. 806. ſeq. b) §. 13 & 15. *c) vid. d.* §. 15. *d) de opif. DEI cap. 16. p. m. 881. ſeq. e) d. l. c. 18. p. 887. ſeqq. f) de rerum natura lib. 4. p. m. 165. ſeq. g) Theor. corp. viv. n. 970. h) Phyſ. c. 50. qv. 48. ſeqq.*

§. 28. Cui omnia adſtipulamur, cum ibidem *a)* ait: *Qvoniam intellectus noſter dependet a ſenſu, ceſſante ſenſu* (ſcilicet etiam interno) *ceſſare & intellectum, qvo fiat, ut in ſomno profundo, hoc eſt eo, qvi omni vacat inſomnio, intellectus qvoqve ſit*

otio-

otiosus. Apposite Seneca: *b) Qvi leviter dormit & species secundum qvietem capit, aliqvando dormire se dormiens cogitat, gravis somnus etiam somnia extinqvit, animumqve altius mergit, qvam ut uti ullo intellectu sinat.* Defendit etiam hanc sententiam Wesselus sive Basiliis Groningensis *c)* qvi causam inde arcessere videtur, qvod Deus tanqvam intellectus agens per liberam voluntatem suam subtrahat in somno tali nobis suam cooperationem. Sed qvoniam hæc doctrina de intellectu agente ab homine realiter distinctio in articulis Parisiensibus anno 1270. proscripta & communiter in Academiis nostris repudiata est *d)* & præterea sufficientibus destituitur rationibus, non possumus istam Basilii rationem approbare.

a) qv. 47. b) Epist. 53. c) lib. de provident. Dei tit. consideratio dormitionis & somni p. 718. d) conf. B. Dn. Thomas. Physic. c. 49. qv. 101.

§. 29. Etsi autem non desint, qvi neqvidem insomniis, qvibus versus facimus, aut de sancta Trinitate disserimus, occupari volunt intellectum hominis, sed tantum cogitationem, qvæ facultas sit sentiens in homine animæ, *a)* tamen qvoniam jam supra *b)* istam hypothesin de cogitativa rejecimus, non opus est, ut hic nos detineamus ulterius.

a) in hanc sententiam plura vide ap. Fromond. p. 719. de anima. b) §. 24.

§. 30. Exercet igitur mens humana suas operationes qvandoqve in somno, sed qvomodo? Vetus Platonicorum dogma est, animam hominis in somno liberiorem esse, qvam vigilante homine *a)* cujus originem uti jam supra *b)* deteximus, ita putabant isti Philosophi nullam humanæ naturæ perfectam beatitudinem posse cogitari, qvamdiu anima esset corpori conjuncta. Si igitur aliqvod se conjunctionis hujus vel vanissima persvasione deceptis ostenderet laxamentum, id illico habuerunt pro beati status mysteriis. Visi autem sunt sibi laxamentum ejusmodi deprehendere in eo si anima sensibus externis sopore obductis velut intra se collecta, neqve ab illis exteriorum sensuum incitamentis, ut antea dependens res suas sola ageret. Hoc ipsi remissionem, hoc libertatem vocaverunt, qva fruens anima longe posset

evidentius divinitatem qvam vigilando demonstrare, vigilando qvippe eam externis sensibus qvasi esse alligatam, ut aliud agere vix possit, qvam qvo sensuum illorum vocant objecta.

a) vid. B. Dn. Thomas. Phys. c. 50. qu. 59. b) §. 4. & 5.

§. 31. Deprehendes hanc opinionem etiam modernis qvibusdam arrisisse. *Nosmet ipsos nescio qvomodo in somno superamus*, inqvit Thomas Brovvne *a) & tunc demum vigilare videtur animus, cum corpus dormitare inceperit. Ligatio qvidem sensuum est, at rationis libertas. Nec ad somniantium imaginationes comparanda est vigilantium meditatio. Siqvidem autem, qvam mens tum fœcunda est, tam fidelis memoria esset, non vitam somniis studerem, nec ad religionis officia obeunda aliud mihi tempus deligerem &c.* Eandem animæ libertatem in somno asseruit Clarissimus Becmanus *b)* & aliqvoties repetit Pomarius *c)* simul Salii Diversi locum recitans, *d)* qvi paria docuit.

a) relig. med. part. 2. sect. 11. p. m. 417. b) lin. doctr. moral. c. 2. §. 8 p. m. 15. c) disp. 1. de Noctam. §. 8. & 11. d) d. §. 8.

§. 32. Nobis cum antiqvioribus potissimum & qvi originem isti sententiæ dederunt, res erit. Neqve tamen id præcipue urgebimus, qvod ista opinio ex profana hypothesi de effluviis divinæ essentiæ ex præexistentis animarum ortum ducat, *a)* sed id saltem eis opponemus, ignorasse eos, qvanam in re ponatur vera mentis humanæ libertas, qvæ non in eo qværenda est, ut collectus in penetralia cerebri animus nihil videat vel audiat, sed ut pro arbitrio suo potestatem habeat qvicqvid velit cogitandi, apprehendendi, membris exterioribus imperandi, qvæ potestas sane in somno maxime ligata est. Non eqvidem diffitemur, fieri posse, ut qvæ oculos nostros aut aures, dum vigilamus, feriunt, avertant in se non raro etiam nolentium animos, illamqve cogitandi libertatem impediant, imo evenire sæpe, ut si maxime retrahamus nos ab omnibus oculiferiis sensusqve nostros colligere studeamus ad arcana mentis imperia, evagentur nihilominus cogitationes & illam animi libertatem pessundent. Sed hoc nimirum vitio fit corruptionis humanæ, qvod profecto dormiendo adeo non tollitur, ut somnia dormientium nulli rei comparati aptius qveant, qvam illis ut ita dicam cogitationum monstris, qvæ

velut

velut importunæ mensæ animos vigilantium perturbare liberumque ipsorum impedire cursum solent.

a) vide supra §. 4.

§. 33. Porro etsi ipsis concederemus hypothesin, animas hominum vinculis corporeis qvasi captivas detineri; non magis tamen in somno liberiores pronunciari poterunt, qvam tempore vigiliæ, & si in ea externis sensibus qvasi sint alligatæ, nisi & captivum hominem liberiorem esse dicere velimus compedibus in aliqvo angulo obscuro vinctum, qvam inclusum domui spatiosæ & e qva prospectus ipsi qvaqva versum pateat. Qvis autem non rideret eum, qvi ejusmodi homini libertatem his verbis persvadere velit. *Esto bono animo.* Cum enim antea jam ex hac spatiosæ domus, jam ex illa fenestra prospiciens, qvid rerum hinc in campis, illinc in plateis gereretur, animadverteres, in mille cogitationes distrahebaris, neqve tecum ipse habitabas; nunc ubi remotus ab omni turbarum exteriorum adspectu neqve circa Te qvicqvam præter tenebras videns, arctissimo vinculorum nexu constringeris, tibi soli redditus es, neqve Te qvicqvam, qvo minus tua libertate perfruaris, impedit. Qvi, autem, qvæso melior est dormientis conditio. Neqve enim anima ejus corpori penitus erepta est, sed velut e lusculentis exteriorum sensuum, ut ita loqvar, cœnaculis in cryptam subterraneam retrusa est, ubi angustius habitet, non liberius.

§. 34. Ut taceam alia absurda ex ista opinione profluentia. Si enim anima in somno est liberior, imputari magis homini poterunt somnia, imputari magis poterunt actiones in somno ab eo perpetratæ, qvo tamen nihil absurdius. Si animæ in somno divinitati suæ proximiores sunt, felicior judicandus erit dormientium status qvam vigilantium. Sed huic edicto reclamabit communis recte philosophantium assertio. *Qvid refert*, inqvit Aristoteles *a*), *sive a prima nativitatis die ad ultimum usq; mille annis aut qvotcunq; somno profundo stertes, an vitam plantæ vivas?* Idem negat, *b) bonum ab improbo in somni discerni, atq; hinc illud esse dicit, qvod ajunt, inter beatos ac miseros dimidiam vitæ partem nihil interesse.* Ciceronis hæc sunt verba *c*): *Somnum nobis, nisi requiem corporibus & medicinam qvandam laboris afferret, contra natu-*

ram putaremus datum. aufert enim ſenſum actionemq; tollit omnem. Platonis, Ariſtonis & Plinii loca jam dedimus ſuperius *d)*.

a) l. Eudem. 5. b) l. Nicom. 13. c) V. de finibus p. 137. 138. d) §. 16.

§. 35. Cum præcedenti, qvod huc usqve refutavimus, Platonicorum dogmate de libertate animarum in ſomno, magnam connexionem habet illa ſententia, qvod anima hominis in ſomno poſſit futura prævidere. Nam non ſolum Cyrus eas conjungit apud Ciceronem *a)*, ſed & idem patet ex loco Jamblichii, qvem adducit Moltkenius in notis ad religionem Medici *b)*. Noviter eandem ſententiam defendit Vir qvidam Clariſſimus. *c) Somnia alt, ſunt imaginationes dormientium. ---- Qvæ imagines ---- ſi rerum futurarum ſunt, ab anima qvidem proficiſcuntur, ſed modo ferme incognito. Cuncta hujus generis Somnia enim divina dici haud facile poſſunt. Et interea dictu difficillimum, qvomodo anima noſtra, utpote rebus terreſtribus immerſa, imagines rerum futurarum & ſæpe qvidem mere contingentium prævidere & exhibere poſſit? Dixerisqve proinde ſomnia ejusmodi eſſe loqvendi genus per imagines ad eum modum, qvo Literatura Hieroglyphica apud veteres fuit, qvæ per imagines rebus ſimiles earum naturam exprimebat. Præſagia vero retuleris ad reliqvias perfectionis animæ ſibi relictæ, ut non tantum futura qvædam hominem ſuum attinentia prævideat, ſed etiam naturam rerum præviſarum exhibeat, inſtitutâ ipſorum cum aliis comparatione, eas vero qvia corpori alligata eſt, clarius cum homine ſuo communicare non poſſit; Vel certe ut anima ſibi relicta prudentibus conjecturis id prævideat, ſicqve homini ſuo communicet, qvod alias, utpote in & cum homine operans, nec providere nec communicare poterat. Ab anima natura vero alienam non eſſe ſublimiorum ejusmodi aliqvarum rerum præviſionem vel Adami exemplum in ſtatu innocentiæ docuit, qvem abſentia contingentia, qvæ ad ipſum pertinebant, ſciviſſe argumento eſt, qvod Evam, cum evigilaret, non tantum ſibi junctam fore ſtatim cerneret, ſed etiam ex oſſibus ſuis formatam ſciret. Abſentia Contingentia vero ſcire & futura præſcire actus ejusdem facultatis ſunt.*

a) vid. §. 2. b) Part. 2. Sect. 11. p. 423. & ſeqq. conf. iterum B. Dn. Thomaſ. Phyſic. c. 50. qu. 59. c) in lin. doctr. mor. c. 2. §. 8.

§. 36. Nos uti de modo vel cauſis, cur & qvomodo anima in ſomno futura prævideat, fruſtra diſputari arbitramur, ſi nondum

dum demonstratum sit, qvod prævideat; sic sublato fundamento, id est divinitate & præexistentia animæ, facile corruet ipsa assertio eidem superstructa, qvod anima futura præcognoscat. Qvod vero pro ejus corroboratione à Viro Clarissimo allatum fuit Adami exemplum, in eo multa essent inqvirenda. Initio an Adamus sciverit, Evam ex ossibus suis fuisse firmatam, ah vero ejus verba sint verba dubitantis aut qværentis, aut ex conjecturis qvibusdam opinantis. Tum si scivit, utrum sciverit a natura an ex revelatione divina forte in somno isto profundo ipsi facta. Deniqve an procedat argumentatio a scientia absentium contingentium ad præscientiam futurorum &c. Sed institutum qvidem nostrum hæc omnia prolixe excutere non patitur. Sufficit qvod ab operationibus animæ humanæ in statu integro, ad animarum nostrarum operationes non firma semper procedat illatio. Plura de his dicenda se offerent, cum ad divisionem somniorum perveneri-mus *a*)

a) §. 46. 47.

§. 37. Dormiunt itaqve & homines & bestiæ; Sed an inter eorum somnum nulla intercedit differentia? Ex dictis facile responderi potest, eam subesse diversitatem, qvod bestiæ nunqvam cogitent in somno, homo vero in minus profundo qvi somnia habet cogitet. Sed tamen inqvies & bestiæ somniant. Qvid inde? Somnia in bestiis sunt actiones solius animæ sensitivæ, in homine vero simul animæ rationalis. Nam & sentiunt bestiæ vigilantes, nec tamen cogitant, sed homo tamen sentiens cogitat. Quanqvam, si verum fateri debeam, non videam qvænam sit accurata differentia inter sensus internos, communem, phantasiam, & memoriam, & actionem animæ rationalis scilicet cogitationem, ut adeo nemini vitio vertere possim qvi hic hæsitet, & ut istum nodum evadat vel ex antiqvorum qvorundam hypothesi brutis cogitationem vel rationem tribuat, vel ex neotericorum doctrina, qvod probabilius, sensum & somnia bestiis deneget. Prius fecit Lactantius inter somnum bestiarum & hominis id præcipue interesse asserens, *a*) qvod Deus facultatem sibi reliqverit docendi hominem future per somnium. Nam jam alibi *b*) docuerat, præcipuam vel solam distantiam inter hominem & pecudes esse,

qvod

qvod homo ſolus aliqvam notitiam Dei habeat & religionem intelligat, cujus in mutis nec veſtigium aliqvod nec ulla ſuſpicio inveniri poſſit.

a) de opif. Dei c. 18. p. 888. b) de ira Dei c. 7. p. m. 777. ſeqq.

§. 38. Somnus ratione cauſæ dividitur a Williſio *a)* in *naturalem* ſeu ordinarium, qvo unusqvisqve totidem ſtatis horis qvotidie tempore idoneo fruitur, vel *non naturalem* ſive extraordinarium, qvi propter occaſiones qvasdam indebita menſura & tempore inidoneo ſuccedit, vel *præternaturalem*, ſcilicet morbum ſoporoſum. His adde ſomnum ex maleficio ſomnifico *b)* ortum, qvem ut a reliqvis ſomni ſpeciebus poſſis diſcernere, vocare poteris *contranaturalem*.

a) de Anima brutor. c. 16. p. 132. b) de qvo tractabimus infra cap. 5. §. 22. vide interim Del Rio diſqviſ. Magic. lib. 3. part. 1. qv. 2. p. m. 356. Torreblancam de Magia lib. 2. cap. 22. p. m. 223. ſeqq.

§. 39. Porro intuitu graduum & qvidem in relatione ad ſenſus externos & locomotivam, non male Henricus Regius *a)* ſomnum dividet, qvod ſit vel *totalis*, ubi ex ſufficienti cerebri & nervorum ſubſidentia omnes ſenſus ſunt ſopiti, vel *partialis*, ubi ex qvarundam partium cerebri & nervorum arctatione & aliarum nonnullarum apertione, nonnulli cerebri pori patentes qvibusdam ſenſoriis & muſculis aliqvos ſpiritus ad qvædam ſentiendum & partes aliqvas movendum præbent, uti ſit in ſomnambulonibus & iis, qvi dormientes ad interrogata reſpondent. Et diviſio qvidem ipſa ex dictis ſuperius *b)* declarari poterit. At exemplum de noctambulonibus qvod attinet, eruditi non conveniunt, qvænam ſint cauſæ miros iſtos effectus in noctambulonibus producentes, qvorum varios ex Salio Diverſo, Horſtio & Semerto refert Pomarius *c)* & præter eum alii ſubinde narrant. *d)* Ad vires imaginationis in ſomno majores, accedentibus poſtea influxu Lunæ, ebrietate & actionibus diurnis provocat Pomarius *e)* & ante eum Viſcherus. *f)*. Alii contra, ut Williſius *g)* & du Hamel *h)*, ſtatuunt phantaſia ac memoria intactis & minime affectis omnem ſpirituum animalium impetum ferri in nervos & ſenſuum exteriorum organa, qvæ tanqvam automata motus omnes prius conſvetos ex ordine peragant. Cum autem neqve in communc

mune ſenſorium reflecti neqve imaginationem ſoleant percellere, ſed in exteriora duntaxat nitantur, inde fieri, ut actiones illas non percipiant noctambuli, ſed idem fere iis accidat, qvod in nobis qvotidie experimur, qvi alio intenti aut fides citharæ numeroſæ pulſamus aut cantilenas occinimus, qvod ſpiritus certis motibus adſveti qvaſi ultro eosdem ex ordine perficiant. Et qvidem in noctambulis non ſpiritus omnes in exteriora prorumpere organa, ſed eos tantum, qvi medullæ oblongatæ propiores magis ad motum ſunt ſuccincti, (atqve eam diſpoſitionem ſpirituum ex ipſa organi conformatione, non ex prava victus ratione proficiſci,) dum interim qvi globoſam cerebri ſubſtantiam occupant, aut humore aliqvo detineantur aut alia ex cauſa torpeſcant. Ac propterea inter noctambulos & ſomniantes illam eſſe differentiam, qvod ſomniantes ope phantaſiæ ſe motus locales edere concipiant, qvos revera minime edant, illi veto locomoveantur nec tamen iſtius conſcii ſunt.

a) Philoſ. naturalis l. 4. c. 16. p. m. 372. b) §. 20. *c) diſp. prior. de noctamb.* §. 5. *ſeqq. d) conf. Auguſt. Viſcher de duello improviſo p. m. 591. Willis. d. c. 16. p. 140. e) diſp. prior & poſter. f) d. l. p. 587. ſeqq. g) d. c. 16. p. 140. b) de corp. anim. lib. 3. cap. 6.* §. *9 p. 657. ſeqq.*

§. 40. Mihi uti non omnino diſplicet Williſii atqve du Hamel opinio, ita videntur cum Pomario conciliari poſſe, ſi diverſos caſus diſtingvas. In qvibusdam exemplis negare non poſſumus, in noctambulis phantaſiam pariter atqve memoriam fuiſſe affectas, qvorſum ſpectat, qvod Horſtius *a)* recenſet de nobili qvodam, maximo cum periculo in ſomno nidum picarum turbamque pullos ſecum auferente, mane vero hoc fratribus, qvaſi ſomnium fuiſſet, referente. In aliis memoriam qvidem manſiſſe intactam circumſtantiæ oſtendunt, ita tamen, ut abſqve ope phantaſiæ motus & alii effectus noctambulorum fuiſſe productos, haud ſit probabile. Sic Henricus ab Heer *b)* narrat, juvenem poëſeos ſtudio dantem operam ſæpius in ſomno verſus emendaſſe, ſibi applauſiſſe, contubernalem, ut ſecum plauderet, hortatum eſſe; Mane vero, cum chartas ſua manu impletas videret, nullius rei recordantem qvaſi attonitum ſtetiſſe, bonine an ma-

li genii opus esset. Qvinimo qvandoqve non diffiteri possumus, præter phantasiam etiam sensum communem in noctambulis suum intuitu alicujus sensus externi officium exercere, si vera sunt, qvæ de eodem juvene ulterius proferuntur, cum uxori cum noctu in somno circumiret, interroganti aptissime respondisse & arcana atqve secretissima sua revelasse. Unde haud probabile est, certe ad hunc vel similes casus non poterit aptari, qvod de la Forge *c)* notat, noctambulos qvidem aliqvando loqvi, sed non audire. Nec tamen diffitebimur, aliqvando absqve tactu ullius ex sensibus internis solos spiritus locomotivam dirigentes actionum a noctambulis profectarum esse causas, v. g. si noctambuli tantum circumcursitant nullosqve effectus memorabiles edunt, nec mane tamen hujus motionis recordantur. Qvamcunqve tamen sententiam arripias, vera manebit doctrina Regii *d)*, Somnum Noctambulonum esse partialem, qvem etiam posses *imperfectum* vocare; qvo spectat assertio Levini Nicolai Moltkii *e)* non esse perfectum eorum somnum, sed eos habere oculos semiapertos; qvamvis nesciam, an id in universum procedat, qvod de oculis semiapertis addit.

a) vid. Vischer. d. p. 591. b) Observ. Medic. oppido rararum 2. c) ad Cartes de Som. p. m. 181. d) vid. §. præced. e) in not. ad relig. med. p. m. 423.

§. 41. Alio in significatu, & in respectu ad gradus somni intuitu animæ rationalis, somnus ab aliis in *perfectum* & *imperfectum* distingvitur. Ille seu somnus *profundus* vocatur, ubi una cum sensibus ligata qvoqve est ipsa rationalis animæ facultas intelligens, ut in actum erumpere neqveat, vel qvi caret insomniis. Hic seu somnus minus profundus appellatur, qvi adjunctum sibi habet insomnium. *a)* Hanc divisionem uti haud dubie concedent omnes, qvi nobiscum statuunt animam rationalem qvandoqve in somno qviescere *b)* ita nescio an somnum insomniis carentem admittent illi, qvi nunqvam mentem insomno qviescere defenderunt *c)*: De Lactantio qvidem res est expedita. Sic enim loca jam supra *d)* adscripta continuat *e)*: *Dormiendi causa tributa est a Deo ratio somniandi.* Sed qvid de Claubergio & aliis Cartesianis dicam, hæsito. Nam Claubergii hæc est assertio *f)*: *Animam etiam*

in

in profundissimo *somno cogitare*? Aut ergo admittit somnum, qvi insomniis caret, aut si non admittit, necesse est eum somni profundi vocem aliter supposuisse, & forte pro ea somni specie, qvam in divisione præcedenti vocavimus totalem. Sed nihil definiam.

a) vide B. Dn. Thomasii Physic. c. 50. n. 68. seqq. b) vide supra §. 27. c) conf. d. §. 27. d) d. §. 27. e) de Opific. Dei cap. 18. p. m. 888. f) d. §. 27.

§. 42. Exponam potius, qvid sit somnium & qvotuplex. Uti vero ex dictis jam constat, nos per somnium non intelligere nomen alicujus dæmonis, homines in somniis seducentis, de qvo jucundam historiam, an fabellam? ex Jacobo Vitriaco profert Martinus Del Rio *a)*, ita varie somnia ab eruditis definiuntur. Somnia esse imaginationes dormientium Claubergius *b)* ait. Alii aliter *c)*. Ex qvibus nulla arridet nobis. Tentabimus ergo, an ipsi eam dare possimus. Somnium est operatio animæ rationalis confusa admodum ac perturbata, imagines qvasdam ex objectis tempore vigiliæ mediantibus sensibus exterioribus præsentatis in somno humano sibi efformans.

a) disqvisit. magic. l. 4. c. 1. qv. 3. sect. 5. p. m. 521. seqq. b) Theor. corp. vivent. n. 968. p. m. 348. conf. supra §. 35. c) vide B. Dn. Thomas. Phys. d. c. 50. n. 73. Willisium d. c. 16. p. 139. Cardanum libro de animi immortalitate, Gasparum de Reyes in Campo Elysio jucundarum qvæstionum qv. 37. p. m. 444.

§. 43. Passiva vero & ab omnibus fere adnotata est divisio Macrobii, qvi qvinqve dicit *a)* esse somniorum species, de qvarum distinctione ipse est paulo prolixior. Eo res redit. Somnium est vel divinatorium, vel minus. In divinatorio Deus aut alia sancta persona nobis futura prædicit aut facienda jubet, qvod est *oraculum* seu χρηματισμὸς; aut alio modo futura nobis aperiuntur, & qvidem vel eodem modo uti extitura sunt, qvod *visionem* sive ὅραμα appellat, aut involucris interpretatione dignis, qvod ὄνειρον sive *somnium* ab eo vocatur. Non divinatoria contingunt, vel qvando cura oppressi animi corporisve sive fortunæ, qvalis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormientis animo; & hoc ipsi est ἐνύπνιον, hoc est, *insomnium*, vel cum inter vigiliam & adultam qvietem in qvadam prima somni nebula aspice-

re videtur passim vagantes formas, qvod nominat *visum* seu Φάντασμα. Hanc Macrobii divisionem non incommodam, sed paululum obscuriorem vocat Peucerus *b*), qvi tamen multa obscuriora de somniorum divisione tradit, & anxie se torqvet, donec constantem suam sententiam de qvatuor somniorum speciebus *physicis, præsagientibus, divinis & diabolicis* proferat *c*). Artemidorus qvinqve Macrobii species revocavit ad duas, *somnium*, sub qvo & oraculum & visionem comprehendit, ac *insomnium*, qvorsum visum refert (ut adeo obiter observare liceat, & somnii & insomnii vocabula modo generice ac synonymice usurpari, ut apud Scriptores passim modo specifice & ut sibi opponantur, ut hic). Alii alias divisiones exhibent, qvas si vel recensere saltem vellemus, charta nos deficeret *d*).

a) lib. 1. in somn. Scip. c. 13. pag. 7. seqq. b) de divinat. gener. p. m. 256. c) d. l. p. 261. seqq. d) vide ex pluribus Peucerum d. l. pag. 256. usq; ad pag. 261. Gaspar. de Reyes in campo Elysio jucund. qv. qvæst. 37. Torreblancam de magia lib. 1. c. 25. Del Rio disqvis. mag. l. 4. c. 3. qv. 6. Clariss. Becm. lin. de 1r mor. c. 21. §. 9. B. Dn. Thomas. Phys. cap. 50. qv. 77. seqq.

§. 44. Nos ita putamus commode procedi posse. Initio vel somnia respectu originis sunt vel *naturalia*, vel *divina*, vel *diabolica a*), qvæ duo ultima, si dichotomia velis uti, posses communi conceptu *supernaturalium* vel *præternaturalium* vel *non naturalium*, vel qvocunqve modo insignire. *Naturalia* sunt, qvæ ab anima humana formantur, *divina*, qvæ a Deo, *diabolica*, qvæ a diabolo modo incognito insinuantur hominibus. De naturalibus non est dubium. Diabolica dari agnoverunt etiam gentiles, Plato & ante eum Pythagoras & Empedocles *b*), ac distincta eorum mentio plus una vice fit in jure Canonico *c*), & inter ea potissimum eminent somnia, qvæ ab Ethnicis in fanis ac templis Deorum fuerunt captata *d*). Divina somnia dari sacræ literæ inculcant passim, qvamvis ea, referente de Reyes *e*), non agnoverint Aristoteles atqve Epicurus. Cur autem Deus homines in somniis alloqvi amaverit? hic non disqviremus. Putat qvidem Vir Clarissimus *f*) id ideo factum, qvia anima tunc sit liberior eoqve aptior, qvæ res sublimes capiat, sed hanc hypothesin jam rejecimus supra *g*).

Nos

Nos qvæstiones ejusmodi curiosibus annumerandas esse arbitramur, qvibus melius abstinemus, cum hic nostra non intersit, Dei actiones secundum normam rationis nostræ examinandi. Qvapropter & ista qvæstio transeat; Cur Deus in specie senes somniis, ut juvenes visionibus dignatus sit *b*)? Cujus ratio affertur ista: Qvod visiones magis in sensualibus, somnia vero talia in intellectualibus versentur. At hisce senes, sensibus vero & phantasia juvenes prævalere. Contra qvam decisionem non pauca etiam possemus regerere, si nostri foret instituti.

a) hanc divisionem vocat Reyes d. l. p. 446. b) de Reyes d. l. p. 449. c) can. sciendum 2. causa 26. qv. 3. & 4. & Can. Episcopi 12. ead. caus. q. 5. d) de Reyes d. l. Peucerus d. l. p. m. 276. e) d. l. p. 447. f.) lin. doctr. moral. cap. 2. §. 10. g) §. 33. seq. h) Joel. II.

§. 45. De Criteriis etiam ac signis somniorum divinorum atqve diabolicorum non conveniunt Doctores. Videtur de iisdem opinionem suam in definitione utrorumqve explicare voluisse Peucerus *a*). Qvinqve requisita proponit de Reyes *b*). Aliorum sententias citat Torreblanca. *c*) Non male del Rio *d*) hac parte Theologos consuli debere notat, in dubio tamen somnium potius pro diabolico esse habendum, qvia Deus soleat, qvando somnium mittit, simul hominem certum reddere, hoc somnium a se profectum & coelitus immissum fuisse.

a) d. l. p. m. 275. 276. b) d. l. p. 459. c) de magia l. 1. c. 25. n. 51. p. 130. d) d. l. 4. c. 3. qv. 6. p. m. 597.

§. 46. Ad præcedentem somniorum divisionem examinabimus reliqvas. Sunt 2. somnia vel σημαντικὰ vel ἄσημα, *significantia* & *non significantia*. Divina & diabolica omnia sunt significantia. E. non significantia omnia erunt naturalia. Remanet itaqve saltem qvæstio, annon qvædam etiam significantia sint naturalia? Qvæ ut rectius decidatur, observandum; significantia dici vel respectu rerum præsentium, vel intuitu rerum futurarum contingentium. Priori modo constans Physicorum opinio est, somnia naturalia indicare temperamentum hominum. Biliosos enim somniare cædes, verbera & ignes. Phlegmaticos aqvas, voragines, & a rebus noxiis tardam fugam; sangvineos musicam, convivia, prata; Melancholicos denique mortem, spectra atqve sepulchra. Indicant porro

somnia internos affectus ac humores exuberantes in corporibus. Ita qvi sangvine abundaverat, somniarat, se in cisternam sangvine plenam mergi; ita qvi somniaverat, alterum sibi crus velut induratum lapidescere, paulo post paralysi correptus est. *a*) Huc spectat integer tractatus Galeni de præsagiis ex insomniis, & latius hoc punctum executus est sæpius citatus de Reyes *b*). Scribit tamen de se Thomas Brovvne *c*): *Facetus & urbanus non sum, non convivæ lepidus, non geniali hilaritati idoneus, is tamen, qvi per unum somnium comœdiam totam componere, in theatro assidere, spectare & audire, & risu tandem plausuq; mihi ipsi somnium excutere possum.* Unde qvis colligere posset, nec ista indicia de temperamentis esse universalia. Sed qvicqvid hujus sit, admittere tamen possumus hoc respectu somnia naturalia esse significantia.

a) *Vide Peucerum de divinat. gener. p. m. 273. 278. b*) *d. p. 455. seqq. c*) *de relig. med. Part. 2. Sect. 11. p. m. 417.*

§. 47. Ast de futuris potissimum contingentibus qvæstio est, an naturalia somnia perinde ut divina vel diabolica hæc etiam indicent. Statuunt id nonnulli *a*) interqve eos Peucerus, qvi somnia præsagientia a divinis & diabolicis separat, eaqve dicit esse qvidem a stellarum influxu, sed præsensiones tamen in iis gubernari & absolvi ab anima hominis. Eo refert somnia Antonii Musæ, Astyagis Medorum Regis, Cyri, Ptolemæi Cerauni, Filiæ Policratis Samii *b*), Alexandri Magni, Pompeji, Darii, Cambysis & Julii Cæsaris *c*). Alia plura exempla suppeditabit de Reyes *d*) Sed qvemadmodum nos non detinebimus in evolvenda qvæstione: Utrum somnia ab influxu astrorum possint causari, qvam alii affirmant. alii negant, distingvunt alii *e*): Ita laudatus Reyes jam notavit doctrinam de naturalibus somniis præsagientibus originem debere Platonicis & aliis Philosophis gentilibus *f*), qvorum hypothesin eum jam supra *g*) refutaverimus, nolumus actum agere, præprimis cum exempla a Peucero adducta sint gentilium, qvorum somnia cur pro diabolicis haberi non mereantur nescio qvid vetet. Accedit qvod ipse Peucerus *h*) profiteatur; *somniis præsagientibus non fidendum esse. Etsi enim sunt picturæ eventuum, tamen interpretationum affirmationem esse prohibitam Deuter. 18. Jerem. 37. nec tribuendam eis esse fidem, qvia ancipitia sæpius sint ac incerta,*

certa, sæpius decipiant. Clarissimus deniqve Beemannus, *i*) etsi dictum Deut. 18 potius ad somnia diabolica pertinere putet, ac divinationem animæ in somniis alias defendat, tutissimum tamen esse dicit & hic a somniorum interpretatione abstinere. Accommodatissimum hic putamus Salomonis *k*) esse dictum: *Ubi multum est somniorum, ibi multum est vanitatis & errorum, tu vero Deum time.*

a) *vide supra* §. 35. *b*) *vide Peucerum d. l. p.* 274. 275. *c*) *Id. ibid. p.* 279. *d*) *d. l. p.* 451. *seqq. e*) *vide si lubet præter Peucerum dictum de Reyes p.* 447. *Torreblancam de magia l. 1. c.* 25. *n.* 20. *seqq. Del Rio d. l.* 4. *c.* 3. *qv.* 6. *p.* 593. *f*) *d. l. p.* 450. *conf. p.* 454. *g*) §. 33. *seqq. conf. iterum de Reyes d. qv.* 37. *n.* 44. *seqq. p.* 460. *seq. h*) *d. l. p.* 279. *i*) *d. l.* §. 9. *k*) *Eccles. V. v.* 6.

§. 48. 3 Somnia sunt vel *vera* vel *falsa.* Occasionem huic divisioni dedisse videntur versiculi Virgiliani *a*):

Sunt geminæ somni portæ, qvarum altera fertur
Cornea, qva veris *facilis datur exitus umbris;*
Altera candenti perfecta nitens Elephanto.
Sed falsa *ad cœlum mittunt in somnia manes.*

Sed de explicatione ejusdem dubium alicui oriri posset ex loco Lactantii *b*): *Historiæ sæpe testantur extitisse somnia, qvorum præsens & admirabilis fuerit eventus, & responsa vatum nostrorum ex parte somniis constiterunt. Qvare neqve semper vera sunt, neqve semper falsa Virgilio teste, qvi duas portas voluit esse somniorum. Sed qva* falsa *sunt, dormiendi causa videntur, qva* vera, *immittuntur a Deo, ut imminens bonum aut malum hac revelatione discamus.* Apparet ex dictis, præprimis si cum iis alia loca Lactantii conferemus hactenus passim adducta, qvod Lacteus iste Pater per somnia falsa intellexerit ea, qvæ anima ope phantasiæ sibi format, qvæqve hactenus sub naturalibus comprehendimus & in divisione præcedenti diximus esse non-significantia, per vera autem somnia significantia divina. Jam qvid de diabolicis fiet? Viderit eqvidem de iis ipse Lactantius; Nam alibi *c*) dum in originem erroris gentilium inqvirit, ac ex illorum doctrina sibi objicit, a Diis Gentilium sæpe in somniis futura fuisse prænunciata, postea *d*) in responsione ad istam objectionem eo inclinat, in somniis hisce multas fabfuisse falla-

fallacias, unde tamen neſcias, an ea pro veris an pro falſis habuerit, & qvamc. demum opinionem ipſi tribuas, infringetur ejus definitio ſomniorum verorum ac falſorum, qvam dedit.

a) l. 6. Æneid. b) de opificio Dei c. 18. in f. p. m. 889. c) lib. 2. divin. inſtit. c. 7. p. m. 176. d) d. l. 2. c. 16. p. m. 224. ſeq.

§. 49. Poterit autem forte res optime illuſtrari atqve exponi, ſi evolvantur Commentatores Virgiliani; qvos tamen, qvoniam in præſenti non vacat omnes excutere, putarem iſtam ſomniorum diviſionem eſſe, ſi præcedentem ſecundam diſtinctionem ſomniorum reſpicias, ſubdiviſionem ſomniorum ſignificantium, adeoqve ſi ad primam diviſionem reflectas, qvoniam naturalia diximus eſſe non ſignificantia, naturalia neqve vera dici mereri neqve falſa; divina vero omnia vera eſſe, qvod ex ethnicis ipſe Plato ex parte aſſecutus eſt, dum aſſerit *a*), Deum per ſomnum non decipere; deniqve diabolica partim vera eſſe, ſi eventus prædictioni reſpondeat, partim falſa, ſi vana fuerit prædictio, ita tamen ut Lactantio concedamus, ſub omnibus diabolicis ſomniis etiam veris ex intentione diaboli latuiſſe fallacias, gentiles ad idololatriam, Chriſtianorum perſecutionem, vel alia facinora perpetranda inſtigare conantis. Igitur diſſentimus ſimul cum Auguſtino *b*) ab illa Gentilium qvorundam philoſophorum ſententia, qvi ſomnia vera angelis, vel, ut ipſi vocabant, dæmonibus bonis, falſa malis adſcribebant.

a) Operum p. m. 607. in fine b) vide Torreblancam de magia d. l. 1. c. 25. n. 5. p. m. 126.

§. 50. Deniqve 4. ſomnia ſunt ratione durationis vel *ordinaria* vel *diuturna*. Ex diuturnis nota ſunt ſomnia Epimenidis Cretenſis, & ſeptem, vel ut alii numerant, qvinqve dormientium ſanctorum. Sic Gaſſendus *a*) refert, ebrios qvosdam tres noctes continuas dormiſſe. Puto autem hanc eſſe ſubdiviſionem ſomniorum non ſignificantium, ratione cauſæ autem partim mediis naturalibus fuiſſe orta, ut illorum ebriorum ſomnium, partim ad divina vel diabolica referri poſſe, qvamvis hic definire nolim, ad qvam horum claſſem Epimenidis & ſeptem ſanctorum ſomnia referri debeant. *b*)

a) in philoſ. Epicuri fol. m. 524. b) conf. interim Torreblancam de magia l. 2. c. 22. n. 3. ſeqq. Del Rio diſqviſ. mag. l. 2. p. m. 199.

CAPUT

CAPUT II.

De JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA INTUITU PERSONARUM.

SUMMARIA.

Somnia ad rem publicam pertinentia ap. Ethnicos publice proponenda. §. 1. 2. Baptiſmus an dormientibus ſit conferendus? Sententia Innocentii Papa §. 3. cujus aſſertio de propagatione religionis violenta notatur § 4. & diſtinctio circa baptiſmum dormientium explicatur §. 5. oſtenditur Thomam hic non diſſenſiſſe §. 6. Uſus qvæſtionis. Catechumenis morituris in primitiva Eccleſia baptiſmus collatus §. 7. ut & ſacra Euchariſtia §. 8. An ab his ad baptiſma dormientium recte inferri poſſit? Negat Boſius §. 9. cui reſpondetur § 10. An poſt illuſionem in ſomnio factam, qvis ſacra myſteria celebrare poſſit? Reſponſio B. Gregorii §. 11. qva oſtenditur non ubiq; eſſe legi Moſaicæ conveniens §. 12. Hujus qvæſtionis nullus uſus ap. Proteſtantes. §. 13. ut & illius. An ſomnolentia excuſare poſſit a privata officiorum divinorum recitatione? §. 14. Neqve agnoſcunt Eccleſia noſtra, qvod inculcat Jus Canonicum circa abſtinentiam a ſomno & vitationem Medicorum. §. 15. Officium Præfecti vigilum ap. Romanos. Qvid hama & dolabra? §. 16. Vigiles qvatenus pro abſentibus habeantur § 17. Servi antiqvitus campanulis a ſomno excitati. Servi ad ſomnum. Silentiarii §. 18. Alii ſilentiarii, de qvibus agitur in Codice. §. 19. An filius legitimus qvem mater ex diu abſente marito in ſomnio dicit concepiſſe? §. 20.

§. 1.

Conſiderata ſomni & ſomniorum natura nunc diſqviren-dum erit de jure circa ſomnum atqve ſomnia. Incipiemus autem de jure perſonarum. Perſona eſt homo cum ſtatu ſuo conſideratus, qvi ſtatus cum intuitu ſocietatum humanarum variet, potiſſimum hic reſpiciemus ad ejus diviſionem in ordine ad ſocietatem civilem. Atqve hujus reſpectu homo *civis* dicitur, cujus officium ſummatim in eo conſiſtit, ut ſalutem Reipubl. qvantum in ſe omnibus modis procuret. Procurari autem & tunc putarunt gentiles reipublicæ utilitatem, ſi ſomnia ad rem publi-

cam pertinentia publice nota facerent. Moris enim erat, ut qvi de republica aliqvid somniassent, id susqve deqve non haberent, sed notum omnibus facerent vel præconis voce vel propositio pittacio, qvo id contineretur *a)*, qvale erat somnium Atinii, cui in qviete Jupiter præcipit, ut consulibus diceret, sibi præsultorem ludis Circensibus proximis non placuisse, qvæ res nisi attenta ludorum instauratione expiata esset, secuturum non mediocre urbis periculum *b)*; qvale erat Artorii Medici somnium, cui dormienti Minerva præcepit, ut admoneret Octavium, ne postero die propter adversam valetudinem in castris permaneret & prælio non interesset *c)* Qvod si somnia essent obscuriora, narrabantur ea onirocritæ, cui officio plerumqve adhibeantur vetulæ tanqvam superstitiosiores. *d)*

a) Casaub. ad Sveton. August. c. 90. p. m. 306. b) vid. Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Exempl. Rom. 4. c) Valer. d. l. Exempl. 1. Sveton. d. c. 90. d) Laurent. Polymath. lib. 2. diss. 29. p. 143.

§. 2. Sed qvemadmodum mos iste multum superstitionis immixtum habet, & haud dubie somnia ista pro diabolicis habenda sunt; ita nobis Christianis haud erit imitandus, nisi certum sit aut valde probabile, divina fuisse somnia aliqvid in utilitatem Reip. indicantia; Propterea eo omisso considerabimus specialius usum somni & somniorum in Statibus peculiaribus. Poterit autem dividi commode status Civilis in Ecclesiasticum & Politicum.

§. 3. Inter Ecclesiasticos fundamentum reliqvorum est status Christianismi, qvem qvidem mediante Baptismo adipiscimur, qvi *an & dormientibus possit conferri?* fuse in jure Canonico tractat Papa Innocentius. *a)* Putaverant aliqvi etiam invitis & contradicentibus baptismum conferri posse, non qvidem qvantum ad rem (intelligo efficaciam baptismi salutarem) sed tamen qvantum ad characterem, h. e. ut ipse Pontifex exponit, jurisdictionem Ecclesiasticam, ergo & de dormientibus idem dicendum esse. His respondet Innocentius, distingvendum esse inter invitos; alios metu periculi alicujus imminentis baptismum suscipere, hos saltem qvoad characterem baptismum suscepisse, ut postea cogi possint ad observantiam fidei Christianæ; at, ut ii, qvi plane inviti & contradicentes id passi fuerint, in fide manere coguntur, id eqvidem

dem contrarium esse religioni Christianæ. Qvapropter qvoad dormientes sic esse tenendum, si vigilantes contradixissent baptismo, per baptismum in somno iis collatum ne qvidem characterem sacramenti eos accipere; qvod si antea habuissent baptizandi propositum & forte catechumeni fuerint, censeri eam voluntatem fuisse continuatam, & ideo characterem ita baptizatos consequi.

a) cap. Majores 3. vers. item qværitur X. de baptismo.

§. 14. In hac decisione, ut recte qvidem Innocentius asserit, religioni Christianæ adversum esse, ut inviti ad religionem cogantur; ita & id debuisset addere, qvod idem dicendum sit de illis, qvi metu gravioris mali religionem professi fuerant, nam & hoc scimus religioni Christianæ esse adversum, ut aliqvis ejusmodi metu ad religionis veræ agnitionem adigatur, multo magis ut in fide per metum suscepta manere cogatur. At, inqvit Pontifex; conditionaliter voluit, etsi non absolute. Subtilitatem audis ex Gentilium philosophia ortam, qvi non solum actiones metu patratas ad spontaneas referebant, sed & effectum moralem tribuebant iisdem, clamantes: coactam voluntatem etiam esse voluntatem, cujus rei fragmenta etiam in Jure Justinianeo deprehendimus *a*), nam si qvis metu inductus promisisset, ex ista erronea hypothesi jure civili oriebatur obligatio *b*). Æqviores tamen Innocentio Ethnici erant; Qvippe Prætor iniqvitatem absurdæ istius illationis sentiens non solum exceptionem dabat promittenti, sed & per actionem eum restituebat in integrum *c*). Æqviores Pontifice sunt Doctores Pontificii *d*) observantes, qvod initiatus metu, non cogatur continentiam servare, qvando metus fuerit cadens in virum constantem.

a) vid. l. 21. §. 7. qvod metus causa b) §. 1. Inst. de Except. c) l. 1. ff. qvod met. caus. d. §. 1. de Except. d) qvorum prolixum catalogum recenset Augustinus Barbosa ad cit. vers. d. cap. 3. fol. m. 420. confer Zimmerm. Analect. Miscell. mens. 4. cap. 3.

§. 5. Qvod vero dormientes spectat, recte iterum Pontifex distingvit, utrum ante qvis vigilans contradixerit, an desideraverit baptismum. Ratio dependet a vulgata juris regula, ejus non esse nolle, qvi non potest velle *a*), qvorum neutrum cum in dor-

mientem cadat, præſumitur durare voluntas, qvam habuit vigilans. Itaqve ſi vigilans neqve baptiſmum deſideraverit, neqve eidem contradixerit, ex eadem ratione non erit conferendus dormienti, qvia nonniſi volentibus ac petentibus hoc beneficium tribuendum eſt; jam cum antea non voluerit, neqve baptiſmum dormiens deſiderare dicendus eſt, niſi forte præſumta ejus ſit voluntas, ut ſi v. g. ſit Catechumenus.

a) l. 3. de R. J.

§. 6. Videamus an adverſus hanc de dormientium baptiſmo deciſionem qvidam diſſentiant. Ita videtur, ſi qvis ea evolverit, qvæ a B. Gerhardo ſunt tradita, qvi Thomam defendiſſe ait *a)* dormientibus baptiſmum conferri non poſſe, qvoniam dicat *b)*: *Baptiſmus non conſvevit dari dormientibus*, & alibi *c)* neget, *conſeqvi qvenqvam gratiam juſtificantem per baptiſmum exterius adhibitum.* Sed ſi qvis citata Thomæ loca dignetur inſpicere, apparebit, eum revera ſentire nobiſcum, qvoniam priorem aſſertionem ita limitat; *niſi periculum mortis immineat; in qvo caſu baptizari debeat, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi baptiſmum*, eandemqve limitationem in poſteriore negatione repetit: *niſi prius habuerit Sacramentum in propoſito.*

a) loc. de Baptiſm. §. 181. vid. Dedekenni Conſilia Theologica part. 1. f. m. 431. b) part. 3. qv. 68. art. 12. c) t. 2. qv. 113. art. 1.

§. 7. Sed inutilis forte videtur de his diſceptatio, cur enim non vigilanti potius baptiſmus conferri debet; & qvæ eſt iſta neceſſitas, qvæ dormientes baptizare coget? *a)* Provocat Pontifex ad Eccleſiam, qvæ tales homines in neceſſitatis articulo conſveverit baptizare, hoc eſt, ut Thomas modo dixit, in periculo mortis, id enim haud dubie innuit Papa & ex eo Lancelottus, non aliam aliqvam neceſſitatis ſpeciem. Scilicet ipſis jam Apoſtolorum temporibus non infreqvens fuit in lecto fatali extrema agentibus baptiſmum ſive inſperato ex morbi neceſſitate oblatum, ſive huc usqve prorogatum ſuſtinere. Unde & non pauci Epiphanium *b)* ſecuti intricatiſſimam phraſin Apoſtoli *c)*, cujus infinitæ *d)* producuntur interpretationes: ἐπὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Qvid alias facient baptizati pro mortuis?* Sic exponunt: *Qvid alias facient ii, qvi morti vicini pro ſtatu mortuorum in*

ſpem

ſpem reſurrectionis paulo ante obitum ſuum ſe baptizari curant. Qvicqvid autem ſit de veritate hujus explicationis, præſupponit tamen ea non improbabiliter jam Apoſtolorum tempore fuiſſe Clinicos, ſic enim dicebantur, qvi ita in lectis baptizabantur. Fuerunt enim & in prima Eccleſia Catechumeni, qvos non probabile eſt, morbo occupatos absqve baptiſmo, ſi eum peterent, obiiſſe. Subſeqventibus vero temporibus freqventiores erant Clinici. Nam de Gentilibus extat conſtitutio Concilii Elibertini *e*): *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum aliqva ex parte honeſta vita, placuit eis manum imponi & fieri Chriſtianos*, accedente nimirum baptiſmo, cujus qvaſi formalis pars erat manuum impoſitio *f*) cui ſimilis eſt conſtitutio Concilii Carthaginenſis III. *g*) a Gratiano in Decretum *h*) relata: *Ut ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ſui*, id eſt proximi cognati, vel familiares *dixerint*, *baptizentur*. Igitur tum temporis de Catechumenis eo minus reſtat dubium. Nam privilegia, qvæ Eccleſia morituris Gentilibus circa baptiſmum conceſſerat, jure multo æqviori vindicare ſibi poterant catechumeni, homines non tincti tantum doctrina fidei, ſed interdum penitus imbuti, qvi jam integris ſenſibus libero animi impetu ſuperſtitionibus valedixerant, & facto in Eccleſiam tranſitu petitionem baptiſmi omnibus fecerant teſtatam. Ita Novatus, infamis poſtea hæreticus, ita Theodoſius M. imperator, ita Gorgonia Soror Gregorii Theologi, Epiſcopi filia, ita Arintheus, prætor & vir conſularis, omnes catechumeni in ultimo vitæ articulo baptizati ſunt *i*), ut alios jam taceam.

a) *vide Magnif. Ziegler. ad Lancellott. Inſtit. Jur. Canon. lib. 2. tit. 3. §. 10. p. m. 322. b*) *hær. 28. c*) *1. Corinth. 29. c. 15. d*) *vid. Hoornbeck. Miſcell. ſacra lib. 1. c. 17. p. 479. Boſium de Clinicis Eccleſiæ veteris cap. 2. p. m. 26. ſeqq. Adde Lightfooti Horas Hebraicas ad d. l. Apoſtoli*, *e*) *can. 39. p. m. 82. in Summa Caranzæ f*) *vid. Voſſ. diſp. 12. de baptiſm. th. 10. g*) *Caranza Summa p. m. 163. can. 34. h*) *vid. Can. Ægrotantes 75. diſt. 4. de conſecrat. i*) *vide fuſius hac exeqventem Boſium de Clinicis Eccleſ. vet. cap. 2. & 3.*

§. 8. Neqve baptiſmus ſolum in prima Eccleſia ægrotan-

tibus in extrema neceſſitate conferri ſolitus, ſed & ſacra Euchariſtia. Ita enim diſponit Concilium Carthaginenſe IV. *a) Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit vel in phreneſin verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audiverunt & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem & infundatur ori ejus Euchariſtia.*

a) Summa Caranzæ p. m. 175. cap. 76. quod excerpſit iterum Gratianus can. is qui 8. C. 26. q. 6.

§. 9. At quid iſta de baptiſmo Clinicorum ad baptiſma dormientium? Audias, quem modo citaſti graviter diſſerentem Boſium *a*): *Prima*, inquit, (conditio baptizandorum in neceſſitatis articulo) *fuit, ut habita vita anteacta pœnitentia peterent baptiſmum, ſi vero amplius loqui --- non poſſent, ut --- alii --- de eorum voluntate teſtarentur. --- Quod --- eorum quoque pravam opinionem evertit; qui dormientes baptizari poſſe audacter aſſerunt. Tale ego Clinicorum genus nuſpiam in tota ſacra antiquitate reperio. Neque ipſe reperit Thomas de Aquino b) ingenue faſſus*, baptiſmum non conſueviſſe dari dormientibus; *ubi tamen congruenter addidiſſet*: Nec dari poſſe aut debere, *ſed nodum in ſcirpo quærebat. Conceſſerat enim citato loco, poſſe inſanis baptiſmum, quem ſui compotes poſtulaſſent, in ipſo etiam inſaniæ & furoris fervore adminiſtrari, quemadmodum alii ex Scholaſticorum face, --- invitos & coactos baptizari poſſe ſerio contendunt contra ſcripturas, contra Eccleſiæ praxin, contra mentem ſanctiſſimorum Eccleſiæ Canonum.*

a) de Clinicis cap. 3. p. 46. ſeqq b) part. 3. qv. 68. art. 12.

§. 10. Sed quod pace B. Boſii dixerim, ego quidem nullam animadverto conſequentiam. Clinici petierunt baptiſmum, aut ſi loqui non poſſent, alii eorum nomine petierunt, ergo dormientes baptizari nequeunt. Quæ vero de Thoma addit, ea ſi cum iis, quæ modo *a*) appoſuimus, conferantur, oſtendunt Thomæ locum vel plane non, vel certe ſuperfunctorie nimis fuiſſe inſpectum. Denique & ea, quæ paulo ante *b*) diſſeruimus, oſtendent, ab invitis & coactis ad dormientes vel amantes illationem etiam non procedere. Quin potius conſitenter inferimus, ſi ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem ægrotantibus graviter baptiſmus

ptiſmus conferri poteſt, etiamſi non amplius intelligant, qvid cum ipſis fiat; poterit & dormientibus, ſcilicet qvi morbo ſomnifero, plerumqve vel certe ſæpe lethali decumbunt, & jam ante baptiſma ſerio deſiderarunt, vel Catechumeni ſunt. De his enim & non de qvibusvis dormientibus ſenſiſſe Pontificem perſpicua ejus verba oſtendunt.

a) §. 6. *b)* §. 5.

§. 11. Confirmantur Chriſtiani in ſtatu ſuo per ſacramentum Euchariſtiæ, de qvo alio loco *a)* jus Canonic. qvæſtionem format: *An poſt illuſionem, qvæ per ſomnium ſolet accidere, aliqvis corpus Domini accipere, aut, ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare valeat?* Diſtingvit B. Gregorius, ex qvo Gratianus Canonem in Decretum retulit; utrum iſta illuſio ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate, utrum ex crapula, utrum ex impuris cogitationibus contigerit. Primo caſu non eſſe timendum, qvia tunc animus neſciens eam pertuliſſe magis qvam feciſſe dolendus ſit. Si vero ex crapula illuſio fuerit orta, modo non adjuncta fuerit turpis imaginatio, ita ut in ſomno aliqvid ſe vidiſſe non recordetur homo, reatum qvidem adeſſe, ſed non tantum, ut qvis a ſacris myſteriis abſtinere debeat. Qvod ſi autem ex turpi cogitatione ſive vigilantis ſive dormientis illuſio ortum ſuum traxerit, abſtinendum eſſe.

a) Can. Teſtam. 1. diſtinct. 6.

§. 12. Hunc puto eſſe ſenſum Gregorii, & ſi primo intuitu verba ejus *a)* expoſitioni noſtræ in omnibus non videantur congruere. Provocat vero initio Canonis ad Teſtamentum veteris legis, qvod ejusmodi hominem pollutum domino dicat, & niſi lotum aqva etiam uſqve ad veſperam intrare eccleſiam non concedat. Sed valde dubito, an præfata Gregorii diſtinctio ad legem veteris Teſtamenti qvadret, cum Sacræ literæ aperte teſtentur, Lege ceremoniali non ſolum illos pro pollutis fuiſſe habitos & purgatione habuiſſe opus, qvibus in ſomno forte ob cogitationes luxuriantes illuſio fuerit facta *b)*, ſed &, qvi ſeu vigilantes ſeu dormientes ex morbo vel infirmitate profluvio ſeminis laborave-rint, *c)*

a) Scil. verba ſinalia: Si vero ex turpi cogitatione *vigilantis &c.*

Sed

Sed adde verba præcedentia, cum ſe, *etſi dormienti &c. b) vid. Deuter. XXIII. verſ. 10. Clarior eſt textus Levit. XV. verſ. 16. ſi verſionem Lutheri reſpicias. Sed communiter tamen hunc Levitici textum explicare ſolent de cohabitatione conjugali. vid. Spencer. de LL. Hebr. l. 1. c. 8. Sect. 1. c) Levit. XV. v. 2. ſeqq. conf. Spencer. d. l. Hottinger de leg. Hebræor. leg. 78.*

§. 13. Cum vero conſtet, leges ceremoniales adventu Chriſti expiraſſe, & imo ex intentione Dei legislatoris etiam expirare debuiſſe, merito nos Proteſtantes iſtum Pontificium Canonem ad Legem Ceremonialem reflectentem, eamqve qvaſi renovantem, non attendimus, unde non opus eſſe arbitramur, caſus, qvos Scholaſtici occaſione hujus Canonis collegerunt, atqve definierunt prolixe exponere, præprimis cum ii magis ſcandalum præbeant qvam erudiant. *a)*

a) Confer interim Auguſtinum Barboſam ad dict. canon. Teſtamentum.

§. 14. Seqvens etiam qvæſtio majorem uſum habebit apud eos, qvi Pontificiæ doctrinæ addicti ſunt, qvam apud nos: *Utrum ſomnolentia excuſare poſſit a privata officiorum divinorum recitatione?* Ad qvam reſpondet Paulus Zachias *a*) in ſomnolentia non modo non nocere recitationem, ſed potius utilem eſſe, qvia clara lectio humiditatem cerebri exuberantem, ex qva ſomnolentia fiat, evacuare & digerere ſit apta, & poſſe hominem, ſi in recitando forte ad ſomnolentiam inclinet, vocem intendendo, ſeſe dimovendo, ac deambulando ſi opus ſit; aut alia qvadam corporis actione, facile hoc incommodum evitare. Igitur ſenſus Zachiæ eſt, non excuſari qvem ſomnolentia laborantem a recitatione eo tempore, ſi paroxyſmum non habeat, qvia recitatio morbum non augeat (de qvo disqvirere ad Medicos ſpectat). Si enim morbus ipſe non ſomni naturalis functiones animæ ligaverit, haud dubie aliud erit dicendum.

a) Qvæſt. Medico-legal. lib. 7. tit. 2. qv. 2. n. 10. f. m. 566.

§. 15. Sed nec illud dicterium agnoſcimus in noſtris Eccleſiis, qvod inculcant Canones *a*): *Somno minus indulgendum eſt, qvam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſeqveſtrandus orationibus*, cujus generalitas non admittit, ut id ſaltem

ſaltem adverſus eos, qvi in ſcholis dormiunt, dictum exiſtimemus *b*). Somno non nimium eſt indulgendum, cum natura qvidem paucis ſit contenta, at qvod ipſa hominis ſanitas propterea ſit negligenda legi divinæ adverſum eſt, qvæ vult, ut indulgeamus aliqvid corpori, modo non fiat luxurians. Et hoc ipſum, ni fallor, inculcant Medici, in qvos adeo injurius eſt alius canon *c*). *Contraria ſtudioſe ſunt divinæ cognitioni præcepta Medicinæ. A jejunio revocant*, lucrubare non ſinunt, *ab omni intentione meditationis abducunt. Itaqve qvi ſe Medicis dederit ſeipſum ſibi abnegat.*

a) *vid. Can. ſunt qvi 56. diſt. 1. de pœnit. ex Ambroſio. b*) *cum Gloſſa ibid. c*) *can. contrariâ 21. diſt. 5. de conſecrat.*

§. 16. Igitur relicto ſtatu Eccleſiaſtico videamus, qvid in Politico ſtatu occaſione vel intuitu ſomni inculcent jura. Eſt vero ille vel publicus vel privatus. Ad publicum ſpectat præfectus vigilum, qvi pro ſalute dormientium, & ne incendia aut furta fierent, *per totam noctem vigilare* debebat *& coerrare calceatus eum hamis & dolabris a*). Hama eſt vas amplum aqvam ſiphonibus exprimens, ut ex Turnebro notavit Strauchius *b*). Aliter exponit Hahnius *c*) eſſe longum qvoddam inſtrumentum, ferream cuſpidem & recurvam habens, qvo paulisper a nobis disjuncta vel remota attrahimus. Neutra expoſitio ab officio Præfecti vigilum eſt aliena *d*). Dolabra vero erat inſtrumentum, qvo ligna complanantur, ad portas effringendas aptiſſimum, vel qvid aliud ſimile *e*). Cæterum de officio Præfecti vigilum fuſius agunt Commentatores ad Pandect. & Codic. qvos exſcribere nolo.

a) *l. 3. §. 3. de Off. Præf. Vig. b*) *Diſſert. 20. th. 14. c*) *ad Weſenb. h. t. f. m. 115. d*) *vide Feltman. ad d. l. 3. §. 3. n. 5. e*) *Hahn & Feltm. dd. ll.*

§. 17. Præerat Præfectus iſte cohorti vigilum, qvi etſi in jure alias pro abſentibus reipublicæ cauſa habebantur, intelligo qvoad edictum Prætoris, ex qvibus cauſis majores *a*), Ulpianus tamen notat *b*) in lege Julia, qva cavetur, ne qvis inter reos adulterii referat eum, qvi tum ſine detrectatione reipublicæ cauſa aberit, non comprehendi eos, qvi revera præſentes ſint, & pro abſentibus ſaltem habebantur, utputa, qvi in vigilibus militant, qvoniam ſcilicet non laborare debeant, ut ſe repræſentent.

a) vid. l. 7. ff. ex qvibus cauſ. maj. b) l. 15. §. 3. ad l. Jul. de adult.

§. 18. In domeſtico ſtatu vivunt ſervi. Atqve hic qvidem non adducam morem antiqvum Græcorum & Romanorum ſervos, companulis ad id deſtinatis, a ſomno excitandi, cujus Lucianus *a)* meminit: *Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus diſcuſſa ab oculis dulciſſima ſomni parte una ſurſum ac deorſum circumcurſas.* Et aliqvanto poſt: *b) Dum hæc tecum loqveris, ſonuit tintinnabulum, jamq; ad eadem tibi redeundum eſt.* Qvorſum & verba Senecæ *c)* pertinent: *Qvanta celeritate ſigno dato glabri ad miniſteria decurrunt?* Propius ad rem facit, qvod olim certa ſervorum munia in curando ſomno fuerint adhibita. Apud Curtium *d)* Belon Philotæ objicit: *Auro argentoq; vehicula ejus onuſta totis vicis ſtetiſſe: ac ne in vicina qvidem diverſorii qvemqvam commilitonum receptum eſſe, ſed per diſpoſitos, qvos ad ſomnum habebat, omnes procul relegatos, ne murmurantium inter ſe ſilentio verius qvam ſono excitaretur.* Huc pertinent forte & *ſilentiarii* ſervi, ad id deſtinati ut reliqvorum ſervorum murmura potiſſimum qvietis tempore coërcerent. Meminit eorum Salvianus *e): Pavent qvippe Actores, pavent Silentiarios, pavent Procuratores; prope ut inter iſtos omnes nullorum minus ſerviſint qvam Dominorum ſuorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur.* Eqvidem Titus Popma *f)* ad ſilentiarios ſervos etiam Senecam in qvadam epiſtola reſpexiſſe arbitratur, dum referat, certos ſervos in familia cæterorum ſervorum murmur cohibuiſſe. Sed probabiliter intelligitur a Popma Epiſtola Senecæ, in qva familiariter cum ſervis eſſe agendum vivendumqve inculcat *g)*, ubi qvidem mentionem facit, qvod ſecundum mores Romanorum, dum Dominus cibum capit, *virga murmur omne compeſcatur*, veruntamen hic a Seneca ſilentiarios ſeu qvi ad id principaliter, ut ſilentium vel maxime qvietis tempore procurarent, habeantur non intelligi, ſed potius Tricliniarchas, & ipſe contextus oſtendit, & obſervavit jam Laur. Pignorius *b)*

a) de mercede conductis mihi T. 1 oper. p. 319. b) p. m. 330. c) de brevitate vitæ. Conf. Caſaub. ad Sveton. Auguſt. c. 92. p. m. 307. d) lib. 6. cap. 11. n. 3. p. m. 401. e) lib 4. de gubern. f) de operis ſervorum p. m. 31. g) eſt Epiſtola 47. b) de ſervis p. m. 369.

§. 19.

§. 19. Cum his silentiariis non miscendi sunt silentiarii, de qvibus sunt integri tituli in utroqve Codice *a*), qvi inter Principis ministeria erant & excubias agebant ante cubiculum Principis, cum vel in Consistorio ageret, vel cum Consistorianis suis exterisve, ut & eorum Legatis, qvorum qvidem munus non erat humile, uti Zonaras scribit *b*), sed honorificum & multis privilegiis fulcitum, excusabantur enim a tutela, a præstatione item tironum & eqvorum *c*), & pro diversitate graduum atqve dignitatum clarissimi vel spectabiles dicuntur. *d*)

a) *in Codice qvidem Justinianeo Lib. 12. tit. 16. in Theodosiano vero lib. 6. tit. 23. b*) *in Anastasio. c*) *l. 2. Cod. Theod. de decur. & silent. d*) *l. 25. C. de excus. tut. & l. 30. §. fin. C. de inoff. test. Plura vide ap. Gothofr. ad d. tit. Cod. Theod. passim, potissimum ad l. ult. eod. Perez. ad Codic. Justinian. d. t. Gutheri de offic. domus Augustæ lib. 3. cap. 29. pag. 804. seq.*

§. 20. Ad statum domesticum pertinent etiam liberi, qvi sunt in potestate patria, si modo sint legitimi. Notari autem hic omnino meretur, Parlamentum Gratianopolitanum anno 1637. d. 13. Febr. judicasse prolem, qvam mulier protulit, a qva maritus qvadriennium abfuerat, esse legitimum partum, qvasi possibile fuerit ut mulier ista per fortem imaginationem putaverit, se in insomniis rem habuisse cum marito, atqvesic concepisse *a*). Sed rectius hæc sententia habetur pro inepta, qvippe cum naturaliter impossibile videatur, ut homo absqve conjunctione viri concipi possit, unde & dicta parlamenti Gratianopolitani sententia a Parlamento Parisiensi ut injusta & in conceptionem sanctissimi Salvatoris injuriosa declarata. *b*)

a) *Deusing. in Hist. fœtus extra uterum geniti p. 46. seq. Erasm. Franciscipart. 2.* der lustigen Schaubühne *discurs. 6. p. m. 1213. seqq. b*) *Francisci d. l. p. 1217. conf. Experientiss. Ammanni Medic. Critic. Discurs. 44. n. 7.*

CAPUT III.

De

JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA INTUITU DOMINII.

SUMMARIA.

Dormiens an acqvirat poſſeſſionem. Explicatur Paulus in l. 1. §. 3. de A. P. § 1. & conſtitutio Decii in l. 3. de acqvir. & retin. poſſ. §. 2 referuntur aliorum expoſitiones §. 3. Conſtitutio Decii an ad furioſos extendi debeat? §. 4. an ad dormientes? §. 5. Dormiens acqvirit poſſeſſionem in cauſa peculiari § 6. Dormiens retinet poſſeſſionem §. 7. Somnium Baſſi de Theſauro, qvo & Nero & totus populus Romanus decepti §. 8. Dormiens non poteſt codicillos facere. §. 9. An idem dicendum de eo qvi laborat morbo ſomnifero? Caſus ex Zachia §. 10. Reſponſio Zachiæ ad iſtum caſum. § 11 cujus rationes ſingula examinantur §. 12. 13. Diſtingvitur inter morbi paroxyſmum & ejus ceſſationem, &c. §. 14.

§. 1.

SUfficiant iſta occaſione perſonarum, pergo ad res. Harum jus eſt vel in re vel ad rem. Illud dominium eſt, qvod naturaliter a poſſeſſione incipit. De acqviſitione poſſeſſionis conſtans regula a Paulo plus una vice inculcata *a)* eſt; ad poſſeſſionis acqviſitionem & animum & corpus reqviri. Unde qværebatur an & furioſus ac pupillus poſſeſſionem acqvirere poſſint? Reſpondet Paulus alibi *b)* (cujus verbis ſimul jungemus paraphraſin noſtram:) Furioſus & pupillus (talis ſcil. qvi adhuc infans eſt, ut patet ex ratione ſubjuncta) ſine tutoris autoritate non poteſt incipere poſſidere, qvia deficit in iis neceſſarium acqvirendæ poſſeſſionis reqviſitum animus, nam affectionem tenendi non habent, licet maxime alterum & generale reqviſitum poſſeſſionis, detentio corporalis, adſit, & corpore ſuo rem contingant. Sicuti ſi qvis dormienti aliqvid in manum ponat, dormiens ejus poſſeſſionem acqviſiviſſe ob deficientiam animi dici non poteſt. Sed pupillus,

pillus, etiam infans & potiſſimum infans, qvia de hoc eſt qvæſtio, tutore autore incipiet poſſidere, *qvia judicium infantis ſuppletur autoritate tutoris; Utilitatis enim cauſa hoc receptum eſt*, ut tutor in acqviſitione poſſeſſionis dicatur judicium iufantis ſupplere, ne ſcilicet infantes nihil acqvirere poſſint & ita miſerabilis ſit eorum conditio; *nam alioqvin* ſi ſtricto jure velimus inhærere, & ex communi doctrina de autoritate tntorum aſſerere, nihil eſſe qvod hic tutor ſupplere poſſit, cum infans plane nullum judicium habeat, omnino pro vero eſſet habendum, qvod nulla intentio ſeu *nullus ſenſus ſit infantis accipiendi poſſeſſionem. c)* Ofilius qvidem & Nerva filius etiam ſine tutoris autoritate poſſidere incipere poſſe pupillum, qvi ſit infans, ajunt, qvaſi nimirum ad acqvirendam poſſeſſionem animo non opus ſit, ſed corpus ſufficiat: eam enim rem, poſſeſſionem nempe, facti non juris eſſe, ad ea vero ſaltem, qvæ juris ſunt, reqviri etiam animnm. Hanc fuiſſe Ofilii ſententiam integer contextus oſtendit. Unde ſimul patet, qvam apte cum eadem cohæreat cenſura Pauli ſtatim ſubſeqvens, qva mediante Ofilium ſecum conciliare ſtudet. Qvæ ſententia Ofilii, ait, recipi poteſt, ſi ejus ætatis ſint pupilli, ut intellectum capiant, hoc eſt, ſi non ſint infantes. Nam hæc conciliatio & ſtatui controverſæ & menti Ofilii repugnat, cujus ratio de poſſeſſione, qvod facti ſit, in infante commodum ſenſum recipit, in pupillo majore infantia, frigidum atqve alienum.

a) l. 3. §. 6. l. 8. de A. & A. P. b) l. 1. §. 3. eod. c) reſpice omnino ad eadem Pauli verba in l. 32. §. 2. eod.

§. 2. Revera igitur inter Jure Conſultos veteres de præfata qvæſtione fuit diſſenſio nullo diſtinctionis medio diſſolubilis. Qvod ipſum clarius patet ex definitione Imperatoria. Ita enim Imperator Decius A. Rufino reſcripſit *a)* Donatarum vel venditarum, aut legatarum &c. rerum qvaruncunqve tam mobilium qvam immobilium a qvacunqve perſona, qvæ dominium vel poſſeſſionem transferre poteſt, non ſolum tutori, ſed & infanti ipſi, ſive cum ſive ſine autoritate tutoris vacua poſſeſſio tradita

corpore ſolo & absqve animo qværitur. Qvamvis enim hucusqve ſint autorum ſententiæ diverſæ de hac qvæſtione, affirmantibus eam Ofilio & Nerva, negantibus aliis cum Paulo autoritatem Tutoris reqvirente, & opponentibus, qvod infans nullum habeat judicium, nullum animum, adeoqve non poſſit poſſidere, hoc eſt, rem detinere cum animo ſibi habendi, tamen conſultius videtur interim, licet animi plenus non fuiſſet affectus infantibus, & imo ex juris computatione plane nullus, nihilominus ipſis poſſeſſionem per traditionem ſeu modum acqvirendi derivativum eſſe qvæſitam, idqve non tam ex ratione Ofilii, qvod poſſeſſio fit facti, non juris, animus autem tantum in acqviſitione eorum, qvæ juris ſunt, reqviratur, qvippe cum non ſolum hæc ſubtilitas aperte videatur pugnare cum poſſeſſionis definitione, verum etiam poſſeſſio ſecundum doctrinam conſultiſſimi Papiniani *b)* multum ex jure mutuetur; ſed utilitatis cauſa, & ne infantes deterioris conditionis ſint aliis hominibus, neve privilegium, qvod ipſis datum eſt, qvod ſcilicet non poſſint ob deficientiam animi obligari aut puniri, torqveatur in ipſorum odium, & ab acqviſitione ipſis utili arceantur. Præprimis cum inutilis hac parte videatur eſſe ſubtilitas Pauli, concedentis, infantes autoritate tutorum poſſe poſſeſſionem acqvirere, non poſſe ſine eorum autoritate Si enim Paulus utilitatem infantum in iſta definitione reſpexit, & a Juris ſtricti ſententia abſtraxit, uti expreſſe ad utilitatem eorum, qvod acqviſitionem autoritate tutorum attinet, ſe reſpicere profitetur, qvid obſtat, qvo minus, & in apprehenſione ab ipſis infantibus ſine autoritate tutorum facta, utilitatis gratia poſſimus admittere, ut per fictionem qvandam juris æqvitate ſubnixam, animo ſibi habendi res, qvas corporaliter tangunt, ſi modo ab aliis ſit ipſis tradita, detinere cenſeantur; alioqvin enim, ſicuti conſultiſſimi viri Papiniani reſponſo (a Triboniano in Pandectis per incuriam omiſſo) continetur, ſi ſtrictum jus & regulas de acqvirenda poſſeſſione ſecundum rigorem ſeqvi volumus, vel ipſo Paulo fatente, nec qvidem per tutorem poſſeſſio infanti poterit acqviri, qvia nempe nihil eſt, qvod tutor hic ex voluntate infantis agat aut ſuppleat.

a) l. 3.

a) l. 3. C. de A. & Retin. poss. b) l. 49. pr. h. t.

§. 3. Hanc genuinam puto constitutionis Decii paraphrasin, qvamvis miris modis distingvant hic Jurisinterpretes, ut pugnam inter Decium & Paulum tollant, increpantes videlicet glossam, qvod primo loco & ipsa huc aliqvatenus inclinaverit, & alia potius omnia apprehendentes, vel qvasi Imperator loqvatur de infante, qvi aliqvod judicium habet, vel qvod in specie in rebus donatis exceptio a regula Paulina fieri debeat, vel qvod res donata hic tradita sit servo infantis, vel qvod pertineat constitutio Imperatoria ad crepundia, cum qvibus infantes libenter ludunt, vel denique qvod res donata infanti autoritate tutoris tradita fuerit. *a)* Confirmat nos in sententia nostra, qvod videamus eandem expositionem placuisse acutissimo Wissenbachio *b)*.

a) vide Gloss. ad d. l. 3. C. Brunn. ibid. Fachin. l. 8. c. 19. Donell. Comment. Jur. Civil. lib. 5. c. 11. b) ad d. l. 3. C. p. m. 82.

§. 4. Ergo Imperatores in dicta qvidem lege Pauli sententiam, qva infantes rejecerunt. Cæterum cum Paulus infantibus supra furiosos & dormientes junxerit, an & de his constitutio Imperatoria intelligi debeat qværitur? Non dicam qvæ Pauli fuerit sententia, utrum putaverit furiosum autore tutore possessionem acqvirere posse, qvemadmodum id de infante affirmat. Adsunt pro utraqve sententia in exposita Pauli lege conjecturæ; &, si obiter alium textum inspicias, ubi Paulus *a)* ait; *furiosum nullum negotium contrahere posse; pupillum omnia tutore autore agere posse*, videtur qvidem ibi Paulus statuere ab iis, qvæ infans tutore autore gerere potest, ad furiosum argumentum non procedere; sed accuratius penſitanti Pauli sententiam apparebit eum non instituere ibidem comparationem inter furiosum & infantem, sed inter illum & pupillum infantia majorem. Qvicqvid vero hujus sit, *se non dubitare* Brunnemannus *b)* profitetur, *dicendum esse, simpliciter in foro furiosis qvari possessionem per curatorem*, neqve immerito, qvia in furioso adest eadem utilitatis & æqvitatis ratio, qvæ in infantibus. Hoc semel admisso, putamus etiam constitutionem Decii ad furiosos esse extendendam ob identitatis rationem, & qvod alioqvin, ut Imperator loqvitur, nec per tutorem furioso

posses-

poſſeſſio poſſet acqviri. Neqve obſtat, qvod illa conſtitutio Codicis non videatur admittere interpretationem extenſivam, utpote Juri communi derogans *c*). Derogat enim, ſed ex æqvitate, adeoqve hæc derogatio favorabilis eſt, non odioſa, cum nulli hic fiat præjudicium, niſi ſubtilitati juris. Accedit qvod & alias in jure, qvod favorabilia attinet, qvalis hoc loco eſt acqviſitio poſſeſſionis; in furioſo pro conſenſu habeatur, qvod non poſſit per dementiam contradicere *d*).

a) l. 5. de R. J. b) ad l. 1. ff. de A. & A. P. c) per l. 14. ff. de LL. d) l. 2. §. 2. ff. ſolut. matrim.

§. 5. Qvæ cum ita ſint, non errabimus opinor, ſi deciſionem Decii extendamus etiam ad tertium caſum Pauli, *ſi qvis dormienti qvid in manum ponat*, & tunc utilitatis cauſa dicendum eſſe dormientem acqviſiviſſe poſſeſſionem. Nam eædem æqvitatis rationes & hic obtinent, ſi nimirum qvis hoc fecerit cum animo transferendi poſſeſſionem; de hoc enim caſu loqvi Imperatorem modo notavimus. Alia enim eſt ratio acqvirendæ poſſeſſionis in modo originario, ſcilicet in occupatione. Ibi enim nihil tam naturale eſt, qvam ut voluntas dominorum rem ſuam vel poſſeſſionem rei ſuæ in alium transferre volentium exitum habeat *a*), unde & leges facile defectum, qvi in furioſis & infantibus erat, ſupplent & eorum conſenſum præſumunt; at in acqviſitione originaria, cum factum alterius hominis non accedat, ſed totum negotium ab animo apprehendentis dependeat, nihil etiam hic eſt, qvod leges ſupplere poſſint, præprimis cum facile dari poſſit occaſio ad lites, ſi lex Decii ad ejusmodi acqviſitiones extenderetur. Qvamv.s forte etiam in dormiente acqviſitionis originariæ ne qvidem qvoad corporalem detentionem poſſit dari exemplum.

a) §. Per traditionem 40. Inſt. de R. D.

§. 6. Illud autem puto eſſe extra controverſiam, poſſeſſionem, qvæ nobis miniſterio corporis alieni, etiam invitis & ignorantibus acqviritur, acqviri qvoqve dormientibus. *Ita acqvirimus poſſeſſionem per ſervum aut filium, qvi in poteſtate eſt, & qvidem earum rerum, qvas peculiariter tenent, etiam ignorantes, ſicut Sabino & Caſſio & Juliano placuit, qvia noſtra voluntate intelliguntur poſſidere, qvi eis peculium habere permiſimus. Igitur ex cauſa peculiari*

liari & infans & furiosus (cur non itaque & dormiens?) *acquirunt possessionem & usucapiunt;* verba sunt ipsius Pauli *a*), quod & Javolenus approbat *b*). Debuisset igitur Paulus in præcedenti quæstione de infantibus & furiosis non ita rigidior esse, cum hic tam facilis fuerit. Nam & hæc assertio, quod quædam nobis ignorantibus acqvirantur, si regulam de possessione animo & corpore simul acquirenda pressius seqvi velis, cum ea non convenit. Unde & Paulus hoc loco non ad veram dominorum voluntatem, sed ad præsumtam provocat. Et diserte iterum Papinianus: *utilitatis causa singulari jure hoc receptum asserit, ne cogerentur Domini per momenta species & causas peculiorum inquirere c*).

a) *l. 1. §. 5. de A. & A. P. conf. l. 3. §. 12. eod. b*) *l. 24. eod. c*) *l. 44. §. 1. eod.*

§. 7. Affinis præcedentibus est quæstio de retinenda possessione, quam & ipsam Paulus *a*) pro dormientibus definit. *Si servus*, inquit, *meus vel filius, peculiari vel etiam meo nomine quid tenet, ut ego per eum ignorans possideam, vel etiam usucapiam, si is furere cœperit, donec in eadem causa res fuerit, intelligendum est, & possessionem apud me remanere & usucapionem procedere, sicuti per* dormientes *qvoqve eos idem nobis contingeret. b)* Ratio petenda ex dictis Proculi *c*): *Si is, qui animo possessionem saltus retineret furere* (aut dormire) *cœpisset, non potest dum fureret,* (aut dormiret) *ejus saltus possessionem amittere, quia furiosus* (item dormiens) *non potest desinere animo possidere.*

a) *l. 31. §. 3. de usurpat. & usucap. b*) *adde Gloss. ad l. 3. §. 3. de A. & A. P. c*) *l. 27. eod.*

§. 8. Ad modos acquirendi dominii pertinet inter alios etiam inventio thesauri, ad cujus detectionem non parum facit fama, unde & in Codice Theodosiano *a*) prohibitum est, ne quis aliena *loca per famam suspecta* rimetur. Sed fama profecto occasio esse poterit inveniendi thesauri, non vero est inventio ipsa, neque per famam solam thesaurum acquirimus. Unde maximum stultitiæ exemplum dedit Nero Imperator, qvod fidens Cesellio Basso, Pœno, & homini mentis turbidæ, qvi in somno viderat, latere in agro suo ingentem thesaurum, neqve autoris aut ipsius negotii fide satis spectata, neque missis visoribus, per quos noscer-

BIBLIOTECA GIORGIO DEL UNIVERSITÀ DI ROMA

ret an' vera assererentur, rumorem ipse ultro auxit ac triremes & delectum navigium misit, qvi velut partam prædam aveherent. Dignus profecto non minus stulto populo, qvi ut se principis stultitiæ accomodarent, partim occasione arrepta summa facundia & adulatione servili regimen Neronis commendabant, qvasinova ubertate provenirent terræ, & obvias opes deferrent dii, partim luxuria spe inani suffulta consumebant veteres opes, qvasi oblatis, qvas multos per annos prodigerent, donec eventus ostenderet, falsa fuisse ac inania Bassi somnia, & divitiarum expectationem inter causas paupertatis publicæ fuisse. Rem fusius narrat Tacitus *b*), & non dissimile exemplum Principis Italiæ decepti spe vana thesauri ex arte chymica comparandi ex Antonio Possevino recenset Forstnerus *c*).

a) l. 2. de thesauris. b) l. 16. Ann. cap. 1. seqq. c) ad Tacit. d. l. p. m. 223.

§. 9. Ad acquisitionem dominii pertinet etiam successio sive sit testamentaria sive ab intestato. A testamenti factione excluduntur inter alios & furiosi, quos uti a Paulo Jam aliquoties cum dormientibus comparari vidimus, sic eadem comparandi ratio non displicuit Juliano. *a*) *Furiosus*, ait, *non intelligitur codicillos facere, quia nec aliud qvicqvam agere intelligitur, cum per omnia & in omnibus absentis* vel qviescentis *loco habeatur* Igitur sponte exinde seqvitur: qviescentem seu dormientem non posse codicilios vel testamentum facere.

a) l. 2. §. 3. de Codic.

§. 10. Et de his forte nullum est dubium. Sed quid si testator morbo aliqvo somnifero laboraverit. An & tum valebunt testamentum vel codicilli, vel qvicunqve actus civilis fuerit celebratus? Formemus casum. Et ecce, casum proponit Paulus Zachias *a*). Decesserat vir qvidam illustris ex affectu soporoso subet scilicet vel lethargo, vel pseudo lethargo, aut simili, ac paulo ante obitum nonnullas pensiones juxta facultatem, qvam habebat, transtulerat; dubitabatur de validitate hujus translationis; eo qvod præsumeretur a parte, illum non fuisse in actu translationis sui juris. Jam videamus, qvid responderit in hoc casu Zachias.

a) quæst.

Digitized by Google

a) *quæst. Medico-legal. tom. 3. consil. 29.*

§. 11. Initio dicit: extra controversiam fuisse, qvod vir ille illustris decesserit ex morbo aliqvo soporifero, ac perinde esse, sive lethargus fuerit, sive Coma vel Subet, vel Cataphora vel Catache, vel Caros, cum hi morbi omnes in eo conveniant, qvod sensus internos lædant, & vix differant secundum magis & minus, spolientqve hominem rationis & memoriæ usu; seqvi itaqve, qvod & ægrotus ille illustris tempore translationis non habuerit mentis & rationis usum. Deinde, si homo somno naturali oppressus non habet rationis usum, multo minus validos esse posse actus ab homine factos sopore ac lethargo detento. Tertio; affectus soporosos apoplexiæ non solum esse finitimos, sed & tunc interficere, si in Apoplexia terminentur, itaqve & actus prope mortem maxime celebratos ab homine, qvi ex soporoso affectu deficiat, non secus ac ab Apoplectico celebratos esse habendos, & irritos ac invalidos omnino esse. Qvarto: Phreniticos non esse mentis compotes; jam vero rationem multo magis lædi in soporosis affectibus; quam in phrenitide. Qvinto: Ad translationem pensionum requiri, ut tranferens cognoscat momentum translationis, personæ, in qvam transferri debet, conditionem ac merita, causam item translationis & alia plura. At in soporosis affectibus tantum abesse, ut homo ad hæc sufficiat, ut ne ad formandas qvidem simplices enunciationes sit habilis, qvæ sola simplicium apprehensione fieri potest. Neqve obstare dictis, qvod ægrotans in dato casu interdum annuendo vel renuendo, prout res expostulabat, responderit, qvia qvotidie alii dementes ita ex consvetudine loqvendi respondere soleant, & aliqvando in somniis etiam homines moveantur & sentiant, & qvamvis per nutum etiam pensio transferri possit, procedere tamen id saltem in iis, qvi usu rationis gaudent. Deniqve non obstare, quod inter soporosos affectus detur unus altero levior, qui parum aut nihil rationis usum turbant, qualem fuisse & hunc in præsenti casu morbum, exinde concludi possit, qvod ad ea de qvibus interrogatus fuit respondit congrue; nam ad ista responderi, omnino fuisse soporem in dato casu gravissimum, qvod ægrotantem paucas post translationem horas extinxerit.

§. 11. Consilia ut plurimum ad gratiam, quæstum & nudam consulentis relationem scribi, ex Tholosano & aliis observavit Autor Parthenii litigiosi *a*). Simile quid Zachiæ in elaborationē hujus consilii contigisse, & infirmitas rationum, qvibus assertionem suam firmat, & qvæ alio loco in eadem materia docuit, persvadent fere, certe svadent. Nam quod primum ejus præsuppositum attinet, ac si morbi soporiferi omnes in eo conveniant, qvod hominem rationis & memoriæ usu spolient, ac consequenter actus eorum haberi debeant pro nullis, de eo in qvæstionibus ipsis *b*) valde fluctuat. Modo enim eandem de Lethargo, Caro, & comate inculcat regulam, addens, qvod habendi sint hi homines tanqvam mortui, & qvod regula: Qvod actus, qvem qvilibet sanæ mentis faceret, etiam teneat in demente, non habeat locum in iis, sed qvod omnia eorum gesta sint irrita & nulla, sive gerantur in morbi principio, sive in augmento; *c*) modo ait, forte in principio morbi actum ab infirmo geri posse, ut cum prudentia congruere videatur, & tum posse præsumi, rationem vel parum qvid vel nihil omnino detrimenti persensisse. *d*) Modo observat inspecie qvoad Coma, id esse vel vigil, qvando ægrotantes habent propensionem ad somnum ac facile dormiunt, sed facile etiam excitantur ac parumper evigilant, vel somnolentum. In prioribus rationem minus lædi; & actus eorum irritos esse non debere, si qvid faciant, quod qvilibet sanæ mentis faceret. *e*) Deniqve asserit *f*): Qvoniam plerique ex iis, qvi in febribus insaniunt, cum morti sint proximi, ad mentem parumper redeant; ideo & si constet infirmum lethargicum aut comatosum ante mortem prudentes quosdam actus fecisse, qvales sani homines faciunt, locum hic habere conjecturam pro validitate eorum actuum. Quæ omnia cum isto præsuppositō parum cohærent, & adversus responsum Zachiæ objectiones suppeditant.

a) *lib. 2. c. 5. n. 31. p. m. 328. b*) *lib. 2. quæst. Medico-Legal. tit. 1. qv. 13 c*) *d. l. n. 4. 5. 6. d*) *ib. n. 7. e*) *ib. n. 10. f*) *ib. n. 12.*

§. 13. In altero argumento, dum a somno naturali ad statum hominis lethargo laborantis argumentatur, præter modo dicta videtur insuper confundere ea, qvæ homo iste ægrotans in ipso somno præternaturali gerit, cum iis, qvæ gerit in tempore momen-

mentaneæ qvaſi vigiliæ. In illis qvidem procedit argumentatio. Sed de illis non erat qvæſtio. In tertio porro argumento nullum eſt robur; Et logicus tiro videt, nullam eſſe in iſtis connexionem. Lethargus eſt affinis Apoplexiæ; Ergo quemadmodum Apoplectici carent ratione, ita & Lethargici; Aut: Lethargus in Apoplexia deſinens interficit. Ergo actus comaſatorum paulo ante mortem geſti ſunt nullius momenti. Adverſus autem qvartum Zachiæ argumentum de Phreneticis deſumptum ea, qvæ ad primum & ſecundum notavimus, repetimus: Idemque & intuitu qvinti monemus, dum ait, ſoporoſos homines ne qvidem enunciationes ſimplices efferre poſſe. Valet enim haud dubie hæc aſſertio in ægrotantibus ſaltem, dum actu dormiunt. Non valet in præfato caſu, cum ægrotans, ut ipſe fatetur Zachias, annuendo & alio modo *congrue & prout reſpoſtulabat* reſponderit; adverſus qvam objectionem Zachias inepte refugium qværit in inſtantia de dementibus, utpote qvi etſi reſpondeant ex conſvetudine, non tamen reſpondent congrue & prout res poſtulat. Deniqve cum Zachias putat in dato caſu fuiſſe ſoporem non levem, ſed graviſſimum, qvia ægrotans paulo poſt fuerit mortuus, revocare in mentem debuiſſet, quæ modo *a*) ex ipſo excerpſimus.

a) § *praced. inf.*

§. 14. Igitur nobis in ſupra *a*) propoſitæ qvæſtionis definitione ſeqveſtratis affectibus, & relicto iſto incerto duce ſic procedendum videtur. Qvamdiu ægrotans ejusmodi ſomnum iſtum non naturalem dormit, nullos actus civiles gerere aptus eſt. Qvando vero, durante etiam adhuc morbo, in ſtatu aliqvo vigiliæ momentaneæ eſt conſtitutus, ex conjecturis de validitate actus judicari debet, qvæ uti propter infinitam ſuam varietatem certis regulis includi neqveant, ita nullus tamen dubito, qvin valide ex modo gerendi poſſint extrui, an nimirum ægrotans geſſerit eo modo, uti homo ſanæ mentis alias eosdem actus gerere conſvevit. Sed hic putarem aliquid intereſſe inter actus ultimarum voluntatum & qvi inter vivos dicuntur. In illis, ſi ſaltem per nutus ad interrogata alterius reſpondeat, fere conjectura ſumetur, ultimam iſtam voluntatem eſſe nullius momenti, qvoniam teſtamentum ad interrogationem alterius factum non validum eſt *b*). At in

contractibus inter vivos, qui interrogationem alterius non ita respuunt, perinde erit, sive sponte ægrotans voluntatem suam aperiat, sive ad alterius interrogata respondeat, etiam nutu, modo id fiat congrue. Adeoque ego qvidem mallem casum a Zachia propositum, qvamvis adhuc paululum obscurum, tamen ex iis, qvas Zachias ipse refert, circumstantiis in favorem ejus, in qvem pensio fuit translata, & pro valore illius translationis definire.

a) §. 10. b) arg. l. 21. ff. qui test. fac. possunt, l. 29. C. de Testament. Adde Fachin. l. 10 c. 17. Joh. Georg. Schmid de nutu cap. 20.

CAPUT IV.

De

JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA IN CONTRACTIBUS.

SUMMARIA.

An contractus dormientis valeat? §. 1. An dormiens consensum tacitum habeat? Nova expositio textus Pauli in l. 1. §. fin. de autor. tut. §. 2. An tutor tacito consensu possit authoritatem interponere? Dd. negant. Notatur Mantica. §. 3. Argumenta negantium §. 4. quibus respondetur §. 5. 6. 7. Explicantur alii textus Pauli, unus in l. 3. de aut. tut. §. 6. alter in l. 1. §. 2. & 3. de tutelis. Genuina ratio cur mutus & surdus non possint esse tutores §. 7. Origo erroris communis §. 8. Dormientes obligantur ex consensu præsumto. §. 9. An juste Caligula dormienti Saturnino & capite nutanti res in auctione venales addixerit? §. 10. Judicium Bochoridis contra Thonidem mercedem propter somnium a juvene poscentem §. 11. Refellitur censura Ærodii de isto judicio §. 12. Censura nostra de eo & de facto Dionysii citharœdam sono pecunia eludentis. §. 13. Juramenta in somniis præstita. Exemplum piscatoris ap. Theocritum §. 14. Quid sentiendum de juramento Evagrii somniantis? §. 15. Vota in somniis facta an obligent? §. 16. Jejunia Pontificiorum ex ipso Jure Canonico Impugnata. Somni causa jejunantibus cibus permissus §. 17. Ad qvid teneatur qui in venditione servum vigilacem esse promisit §. 18. Servus in somno urinam faciens an redhiberi possit? §. 19.

§. 1.

§. 1.

ITa ſenſim ſimul ad actus intervivos ſumus perducti. Unde qværitur, an contractus dormientis valeat? Pro affirmativa dici poterat, in dormientibus mentem qvandoqve vigilare & rationatricem partem ſua munia obtinere. Sed facit tamen maxime pro negativa, quod licet in ſomniis homo qvandoqve eadem facere videatur ac dicere, qvæ extra ſomnum faceret aut diceret, & ita ratio videatur ſui juris eſſe, vere tamen ſopita eſt & dormiens voluntate caret, ita ut neqve loqvatur neqve faciat, qvod mens & voluntas facere ac dicere dictaret, ſed prout Phantaſia varias rerum imagines rationi offerens ex iis etiam ea, quæ neque ſunt neque ullo modo fuere dormientem effutire cogit *a*).

a) *Zach. qv. Medico-Legal. lib. 2. tit. 1. qv. 12. n. 6. & 9.*

§. 2. Caret itaqve dormiens conſenſu expreſſo. An & tacito? Sic videtur. Quoniam conſenſus tacitus ſaltem ex factis perſonarum, per expreſſum conſenſum mentem ſuam declarare valentium elicitur. *a*) Itaqve etſi alias ſecundum tritam regulam, qvi tacet, conſentire videatur, & patiens, uſ pro ipſo fidejubeam, habeatur pro mandante *b*), non tamen id procedet in furioſo, non procedet in dormiente. Atqve hoc ipſum inculcare voluiſſe Paulum ego arbitror, cujus verba ſic περιφράζω *c*): Tutor etiamſi alias, ſi præſens ſit negotio & taceat, autoritatem ſuam interpoſuiſſe cenſeatur, tamen ſi invitus ſit retentus per vim, & taceat vel patiatur pupillum cum alio contrahere, non valet, qvod agitur; neqve enim præſentia corporis ſufficit ad autoritatem; ſed maxime reqviritur præſentia animi; quæ eo caſu ſi invitus fuerit tutor retentus ex ſola taciturnitate non poterit elici; quoniam conjectura ex taciturnitate deſumta eliditur per conjecturam a violenta detentione petitam. Igitur neqve ſola præſentia corporis, neqve ei adjuncta taciturnitas tutoris ſufficit ad tacitum tutoris conſenſum & autoritatis interpoſitionem inferendam, ut ſi ſomno, aut morbo comitiali occupatus tutor præſens fuiſſet & tacuiſſet.

a) *vid. Dn. Præſid. Philoſ. juris §. 129. ſeqq.* *b*) *l. 6. §. 2. l. 18. mand.* *c*) *in l. 1. §. fin. de autorit. tut.*

§. 3.

§. 3. Hanc periphrasin arbitror textui Paulino esse convenientissimam, etiamsi facile prævideam, qvid adversus eam oppositurі sint, qvibus forte non arridebit. Quid enim, inqvient, hoc novæ rei est, asserere; tutorem posse autoritatem suam interponere consensu tacito? Cum tamen communis Iurisperitorum doctrina sit; ad tutoriam autoritatem reqvi:i, ut præsens loquatur, non ut taceat. Hic fateor eqvidem, si autoritate esset pugnandum, non legibus, me jam ad anguſtias esse redactum; ita qvotqvot evolvere licuit commentatores ad Pandectas, vel qvæstionem hanc omittunt, vel non nisi expressam tutoris autoritatem agnoscunt. *a*) Apud solum mandicam, qvem credebam controversiam istam ir opere de tacidis conventionibus fusius tractasse, sequentia saltem obiter & alieno loco *b*) posita lego. *Si pupillus, ait, habeat tutorem, cum tutoris autoritate potest societatem contrahere, c) nec tacita societas, qua colligitur ex actibus tutoris, excluditur. Nec verbis opus est, quando proceditur per actum facti, d) licet verba sint necessaria, quando tutor interponit autoritatem in iis, qua procedunt per actum verbi e).* Itaque forte per distinctionem lis tolli poterit, in actu verbi expresso consensu tutoris esse opus, in actu facti tacitum sufficere. Sed qvid est jam actus facti & verbi? Nescio sane an ipse Mantica hanc distinctionem intellexerit. Et urgebunt communis sententiæ autores, non probasse Manticam sufficere aliqvando tutoris consensum tacitum, cum textus ab eo adductus *f*) id saltem notet, posse tutorem possessionem rei pupillaris antea sibi venditæ privata autoritate acquirere &c.

a) *vid. Dn. Struv. Exerc. 31. th. 41. Brunnem. repet. prat. Wesenb. ad h. t. de autor. tut. qv. 16. Strauch. dissert. 5. th. 28. Plures citat. fusius hanc quæstionem tractans & vestigia vulgaria premens Schmid. de nutu cap. 15. n. 17. usq; ad n. 26. b) de tac. & amb. convent. lib. 6. tit. 13. n. 6. seq. p. m. 385. c) l. ut in conductoribus ad fin. ff. pro socio, d) l. 78. §. 1. ff. de contrab. emt. e) l. 1. in. f. ff. de autor. tut. f) d. l. 78. §. 1.*

§. 4. Igitur linquamus Manticam & soli in arenam descendamus cum cum communi Doctorum Schola. In confesso est. neqve negabunt, credo, in genere consensum non saltem declarari posse per verba, sed & per facta, inter qvæ suo modo etiam est silen-

silentium. *a*) Jam qvi dicunt, autoritatem tutoris, qvæ species est consensus, tacitis ejusmodi modis non posse declarari exceptionem tradunt a regula, in qva non considerandum, quot & qvi illam proponant exceptionem, sed quam bene proponant, hoc est, qvæ arma adversus nos, qvi nos sola defendimus Regula, ex legibus afferant. Provocant ad ipsum Paulum nostrum. Tutor, ajunt, ex Pauli doctrina tum demum autor fieri dicitur, si se probare *dicit* (en consensum expressum) id qvod agitur *b*). Qvid qvod idem Paulus mutum a tutela rejicit, *c*) qvod non possit autoritatem præbere, (id est, supplent; non potest loqvi, si enim taciturnitas sufficeret, & mutus tutor esset, qvia hic perpetuo tacet) & adhuc clarius, surdum arcet a tutela, *d*) qvia non tantum loqvi tutor debet, sed & audire. Ergo, pergunt, vides, qvod tutor in autoritate sua interponenda loqvi debeat. Qvin & nostrum, qvem paraphrasi modo vestivimus, Pauli textum provocatur, & qvod Paulus ibi dicat, non sufficere corporis præsentiam ad autoritatem: *e*) Ergo nec silentium, inferunt. Qvid qvod & Julianus trahitur in partes: qvi non multum interesse docet, absuerit tutor a negotio vel præsens id ignoraverit. *f*) Idem est, addunt, si præsens tacuerit.

a) *vide modo dicta* §. 2. *b*) *l.* 3 *ff. h. t.* *c*) *l.* 1. §. 2. *de tutelis*, *d*) *d. l.* 1. §. 3. *eod.* *e*) *d. l.* 1. §. 1. *de aut. tut.* *f*) *l.* 14. *ff. eod.*

§. 5. Sed straminea profecto sunt arma postrema duo, nullum impetum plane regulæ inferentia. Qvid putas? Si Paulus in textu nostro sub corporali tutoris præsentia etiam omne scientis silentium voluisset includere; annon inepte & sine ulla, etiam levissima, causa circumstantias de taciturnitate dormientis aut morbo comitiali laborantis addidisset. Qvid enim somno aut morbo opus, si qvæcunqve taciturnitas vigilantis & sani hominis eundem effectum producit. Annon Julianus minus sufficienter cum absente tutore comparasset præsentem & ignorantem, si idem esset effectus præsentis scientis & tacentis? Alia ut jam taceam.

§. 6. Priora autem duo argumenta fortiora sunt in speciem, eqve postremis differunt, ut arma videlicet cerea a straminеis. I-

gitur operam dabimus, ut lumine paraphraſeos noſtræ allato & ipſa liqveſcant. Initio qvod putant Paulum autoritatem definire per approbationem ore prolatam, falluntur egregiè. Res plana eſt: *a)* Etiamſi non interrogatus tutor autor fiat, valet autoritas ejus: Exempli gratia; Cum ſe probare dicit id qvod agitur; aut præſens in negotio & ſciens tacet, vel alio modo, ut nutu, conſenſum ſuum non interrogatus tacite declarat. Hoc ipſum enim, qvod non interrogatus hæc faciat, eſt multo magis autorem, fieri, quam ſi ea a Tutore ad præcedentem interrogationem applicentur, cum in præcedente interrogatione major lateat dubitandi ratio, ac ſi tutor non ſtatim in ipſo negotio, ſed eo finito demum & ſic incongrue autoritatem interpoſuerit, qvæ dubitandi ratio in altero caſu ne qvidem habet locum. Breviter; Paulus hic neqvaqvam definit autoritatem tutoris, neqve prolationem verbis elatam taciturnitati tutoris opponit; ſed ſaltem ſpontaneam approbationem verbis ſignificatam, comparat cum approbatione verbis ſignificata ad præcedentem interrogationem. Igitur etiamſi in paraphraſi ea, qvæ de tacito conſenſu interſperſi, omittantur, nihil tamen ex verbis Pauli adverſus communem regulam poterit deſumi.

a) d. l. 3. ff. de aut. tut.

§. 7. Similiter de muto & ſurdo res eſt facilis. *a)* Mutus, ait, tutor dari non poteſt a Magiſtratu aut teſtatore, qvoniam tales tutores dandi ſunt, qvi apti ſunt & habiles ad rite gerenda pupillorum negotia. Jam vero mutus tutor autoritatem præbere non poteſt. Nam non poterit expreſſis verbis conſenſum ſuum declarare. Neqve conjecturis, qvæ alias faciunt tacitum conſenſum, hic eſt locus. Patientia enim & taciturnitas in ſolis hominibus, qui fari poſſunt, tacitum conſenſum eliciunt. Ideo enim qvi tacet, aliqvando pro conſentiente habetur, qvia debuiſſet loqvi, ſi voluiſſet diſſentire. Similiter ſurdum non poſſe dari tutorem pleriqve probant. Etſi enim in contrarium afferre velis, ſurdum & expreſſis verbis conſenſum ſuum declarare poſſe, & conſeqventer etiam tacite; tamen aliud reqviſitum conſenſus tam expreſſi qvam taciti deficit, ſcilicet, qod non faci-

le intelligat, qvid geratur in ipso negotio, qvoniam non audit. Non vero tantum loqvi, sed & audire tutor debet.

a) d. l. 1. §. 2. & 3. de tutelis.

§. 8 Qvæ cum ita sint, miraberis forte, cur Doctores communiter tacitum consensum ab autoritate tutoris excludant. In promptu causa est. Docuit id primum Glossa. *a) Imo etiam*, inqvit, *si tacet,* (tutor) *videtur audorari; si sciat, qvod sit, & sit præsens &c. Sed hæc non placent. Imo oportet eum loqvi, ut hic.* Facile jam poteris imaginari, quanta reverentia primi Doctores, qvi Glossatorum sputa lingebant, oraculum hoc assumserint, idqve per traducem ad successores suos propagaverint, usque dum de ejus veritate non amplius fuerit dubitatum.

a) ad l. 3. de aut. tutor. lit. l.

§. 9. Jam in viam. Etsi consensu tacito pariter & expresso careant dormientes, non tamen idem plane dicendum est de consensu præsumto. Hunc a tacito consensu inter alia & sic differre alibi *a*) jam ostendit Dn. Præses, qvod tacitus consensus simul sit causa verorum contractuum, præsumtus qvasi contractuum, qvódqve tacitus sit verus consensus, præsumtus autem proprie consensus non sit, cum & invitos obliget, & qvi consensus alias plane non sunt capaces, ut sunt furiosi, infantes &c. Hoc ipsum Paulus innuit: *Furiosus* ait *& pupillus, ubi ex re*, id est, ex qvasi contractu, *actio venit, obligantur etiam sine curatore*, ut in judicio communi dividundo *b*); & Pomponius: *c) Ex qvibus causis ignorantibus nobis actiones acqviruntur, ex iis etiam furiosi nomine incipit agi posse*, v. g. si qvid legetur ei, aut per fidei commissum relinqvatur; unde & Ulpianus docet: *d) Si furiosi negotia gessi, adversus eum competere mihi negotiorum gestionem.* Si igitur ex qvasi contractu furiosi & infantes obligantur, obligabuntur & dormientes, quippe qvos cum furiosis & infantibus comparari jam vidimus aliqvoties.

a) vid. ejus Philos. juris §. 133. b) l. 46. de O. & A. c.) l. 24. §. 1. eod. d) l. 3. §. 5. de negot. gest.

§. 10. Ex dictis hactenus jam facile dijudicare poterimus casus qvosdam speciales. De Cajo Caligula sequentia refert Svetonius *a*); *Auctione proposita reliqvias omnium spectaculorum*

si d est gladiatores, qvi spectaculo superstites remanserant) *subjecit & venditavit* (Caligula) *exqvirens per se pretia, usqve eo extendens, ut quidam immenso coactis quadam emere ac bonis exuti venas sibi inciderent. Nota res est; Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Cajo praconem, ne praetorium virum crebro capitis motu nutantem sibi praeteriret: nec licendi finem factum, qvoad tredecim gladiatores HS. nonagies ignoranti addicerentur.* Injuste omnino & per scelus Caligulæ. Etsi enim in auctionibus licitatores non tantum per verba, sed & tacite consensum suum declarare possint, unde non solum olim frequentatum fuit, ut digito sublato in auctione qvis se licitatorem profiteretur *b)*, sed & nullum dubium remaneat, qvin & nutu aliqvis licitare possit; tamen, ut supra diximus, nutus & similia signa consensus taciti in dormientibus pro talibus non habentur, inter homines certe; inter bestias enim, v. g. hirco, signa inter homines recepta non distingvere valenti, id vitio verti neqvit, si in somno frequenter nutantem cornu feriat arbitratus nutationem esse signum; qvod dormiens cum ipso se exercere velit, qvale qvid Poëtæ suo accidisse jucunde narrat Gallorum Satyricus Scarron. *c)*

a) in vita ejus cap. 38. b) Franck. Mod. Novantiq. lect. epist. 105, Hillig. lib. 23. Donell. enucl. cap. 14 lit. C. c) dans le Roman Comique second. part. chap. dern.

§. 11. Majore impudentia actionem adversus juvenem instituit scortum Ægyptiacum. Historiam recenset Plutarchus *a)*, ex qvo pro more fusius, & momenta juris inter spergens, eam inter res judicatas retulit Petrus Ærodius *b)*: *In Ægypto*, inqvit, *qvidam fuit adolescens Thonides meretriculæ amore deperditus, qvæ cum adeo magnam pecuniam posceret, ut desperaret, ea unqvam potiri posse: accidit ut ex nimio & assiduo desiderio somniaret, qua vigilans efflagrabat, qvo in somnio adeptus est qvasi rebus ipsis & facilis expleta libidine, ut desineret meretriculam sollicitare ac persequi; Nam ex umbra didicerat, quam res ipsi vana futilisqve esset. Et hoc Archedica qvoqve adolescenti erga meretricem qvandam Naucratiticam evenisse narrat Ælianus. Ignari rerum imagine gaudent. Sed qvid illa Ægyptia? Adolescentem in jus vocat; postulat mercedem imaginarii hujus & simulati concubitus. Nihil enim interesse, qvemadopotius*

sit

sit amare, dummodo sit potitus. Secundum Protagoram (ut est apud Platonem in Theateto) apparentia perpetuo ei, cui apparent & qvoqve modo apparent, ita vere esse, non solum modo videri. Qvid ad hoc adolescens? nescio, nisi id fortasse: Præsidem jus de his mercedibus non dixere. Bocchoris sane, qvi præerat huic cognitioni, jussit adolescentem pecuniam afferre, qva petebatur: Nam meretricem cum sit meretrix non turpiter petere, non impudenter: Numera, Appende, inqvit. Hic cum meretricem affectam numeratione illa & spe animadvertisset: Satis est, habet (inqvit) imaginis imaginariam mercedem, & adolescentem suam pecuniam habere jussit. Sic Dionysius cum citharœdo, qvo melius caneret, plus pecuniæ promisisset; & crastina die citharœdus pecuniam peteret: Non rem, inqvit, promisi, sed voluptatem pro voluptate. At judicium Bocchoridis non placuit Lamiæ. Hactenus Ærodius. *Non enim, ut insomnium,* ajebat Lamia & ipsa Demetrii scortum, *juveni amorem, ita umbra meretrici cupiditatem auri ademit. c)*

a) in Demetrio p. m. 788. b) lib. 10. tit. 19. p. m. 639. c) vide Plutarch. d. l.

§. 12. Nobis vero non placet judicium Ærodii aliud pro adolescente proferre nescientis, qvam qvod Prætor de mercedibus ejusmodi meretriciis pronunciare non soleat, comparantisqve hanc Bocchoridis sententiam cum facto Dionysii. Nam adversus istam adolescentis exceptionem ipse Ærodius longe melius pro meretrice instituit: Prætorem omnino de his mercedibus cognoscere, cum meretrix turpiter qvidem faciat, qvod sit meretrix, non autem turpiter accipiat mercedem meretriciam, cum sit meretrix *a)* Deinde factum Dionysii injustum est, sententia Bocchoridis justa. Apposite Aristoteles *b)* interprete Lambino: *Simile est, ac si qvis nihil consequatur, cum id, qvod cupiebat, non consequitur. Quale illud est de citharœdo qvodam, cui is, qvi promiserat, qvanto melius caneret, tanto se plura daturum mane promissam mercedem exigenti voluptatem se pro voluptate reddidisse respondit. Si hoc igitur volebat uterque, satis illi factum esset, sin hic oblectationem, illi qvæstum atque utilitatem petebat; & hic habet, qvod voluit, ille non habet, nam fuerit legi societatis cumulate satisfactum.* Vides qvem hæc conveniant cum iis, qvæ Lamia objiciebat. Igitur Lamia qvi-

dem non ut ſcortum, ſed ut Philoſophus fuit locuta; parum abeſt qvin Ærodius ſcripſerit ἀ Φιλοσόφως.

a) per l. 4. §. 3 de cond. ob turp. cauſ. adde omnino Dn. Præſid. not. ad Strauch. Diſſert. 22. th. 9. p. 309. ſeqq.

§. 13. Qvid ergo nos ad iſta? Longe diſſimillima putamus eſſe Dionyſii factum & ſententiam Bochoridis. Promiſerat Dionyſius citharœdo, tenebatur ex promiſſo actione conducti. At adoleſcens meretrici nihil promiſerat, nulla competebat Thonidi adverſus eum actio, non ex contractu, qvi non aderat, neqve adfuiſſet, etiamſi in ſomnio ipſi promiſiſſet, petitam ſummam, nam nec promiſſa ſomniantium eos obligant, præprimis cum & ulterius in dato caſu promiſſionis acceptatio ad introducendam obligationem perinde neceſſaria defecerit. Non ex delicto etiam. Nam etſi maxime hic ab adoleſcente peccatum fuiſſet, non tamen propterea peccatum hoc attigit Thonidem. Qvod ſi in qvaſi contractibus forte refugium velit qværere meretrix, qvi potiſſimum in iſtis fundantur æqvitatis regulis, qvod nemo debeat locupletari cum alterius damno, & qvod beneficium nemini debeat eſſe damnoſum; neque ſic tamen lucrabitur qvicqvam. Nullo beneficio affecit ipſa adoleſcentem; ſi enim fuiſſet beneficium, umbra id præſtitit; ergo umbræ etiam, non Thonidi ſolvendum qvod poſtulabatur. Demus lucrum ſenſiſſe adoleſcentem in ſomno, non erat id cum damno Thonidis conjectum. Interceptio qvippe lucri in iſta regula pro damno non habetur. Hæc puto pro adoleſcente fuiſſe afferenda; atqve eadem ex parte puto ſufficere pro excuſando facto Dionyſii, prout id refertur a Plutarcho. *a) Ille citharœdo, qvi in SPECTACULO qvodam placebat, cum magnum præmium OSTENDISSET ſe daturum, nihil poſt dedit, qvaſi gratiam illi retuliſſet. Qvamdiu enim inqvit oblectaſti cantu, tamdiu ſpe oblectatus es.* Hoc modo ſi idem retuliſſet Ærodius, magis fuiſſet accommodum. Ita minimæ circumſtantiæ variant jus.

a) de audiendo p. m. 11.

§. 14. Facile etiam ex dictis dijudicari poteſt, qvid ſentiendum ſit de juramentis in ſomno præſtitis, qvibus aliqvid promiſſum fuit. Cum enim juramenta hæc ſint acceſſiones promiſſionum

num non saltem jure naturali *a*), sed & jure civili, *b*) novum effectum non producunt, verum si ipsa promissio sit inefficax, non sustinebit eam juramentum; Aliud tamen hactenus observat jus Canonicum, *c*) volens ut ea juramenta serventur, qvæ salva salute æterna possunt servari. Sed hac differentia non obstante qvoad juramenta a dormientibus præstita, inter jus Civile & Canonicum non esse differentiam arbitror, cum communiter Canonistæ dictam juris Canonici regulam de jurejurando, qvod salva salute æterna servari potest, ad juramenta, qvæ a personis ratione non gaudentibus fiunt, qvales sunt infantes & furiosi, non extendunt. Itaqve frustra timebat perjurium piscator ille apud Theocritum, *d*) qvi in somno postqvam, somniaverat se cepisse aureum piscem insignis ponderis, simul juraverat, se posthac in mari non positurum esse pedem, sed in terra mansurum. Nam ei recte regerit hospes: *At tu ne verearis: non enim juraſti; nam neqve piscem aureum vidisti, aut nactus es, talei autem visiones similes sunt mendaciis. Nam si vigilans nec dormiens tu loca illa perqviras, tum spes Somniorum carneum piscem reqviret, ne moriaris fame, licet in aureis somniis.*

a) vid. Dn. Pufend. de J. N. lib. 4. c. 2. §. 6. seqq. *b*) l. 7. §. 16. de Pact. l. 5. C. de LL. *c*) cap. 28. x. de jurejur. junct. cap. 2. de Pactis in 6. *d*) Idyll. 21. qvod inscribitur ἁλιεὺς.

§. 15. Sed qvid dicemus de juramento Evagrii, qvod recenset Sozomenus: *a*) *Hunc* (Evagrium) *formosum aspectu & vestitu exqvisitum cum quidam e magistratuum numero Zelotypia laborans uxorem suæ conjugi ac familiarem esse intellexisset, mortem ei machinari cœpit. Atqve dormienti Evagrio cum ædes per insidias reipsa inferretur, dicunt visionem qvandam terribilem illam qvidem, sed tamen salutarem divinitq oblatam esse. Videbatur enim videre se in maleficio qvodam deprehensum esse & catenas ferreas manibus ac pedibus injecta s. Cumqve jam deduceretur ad judicium & supplicio afficeretur, ad se qvendam accessisse, demonstrasse librum evangeliorum, pollicitum esse, si urbe egrederetur, se e vinculis eum soluturum; jusjurandum ab illo postulasse, qvod ita faceret; se autem manu ad librum admota juravisse se id sine dubio facturum. Itaqve e vinculis exemptum & illico somno solutum esse. Sicqve divina visioni sibi secundum qvietem objecta*

obse-

obſequentem periculum evitaſſe. Hic, ut mentem noſtram in pauca contrahamus, nullum eſt dubium, qvin præſtatio ejus, qvod Evagrius in ſomno juraverat, ipſi fuerit utiliſſimum; de juſtitia ſaltem qværitur. Non injuſte fecit qvod exierit, qvia hic actus etiam absque juramento ab eo fieri poterat. Sed numne etiam non feciſſet injuſte, ſi contempto juramento manſiſſet in urbe? Ita qvidem videri poſſet, ſi veſtigia modo in præcedentibus dictorum preſſe ſeqvi velimus; ſed ſola circumſtantia, qvæ in ſomnio Evagrii acceſſit, quod ſomnium ejus fuerit divinum, contrarium ſvadet; divinis autem ſomniis haud dubie obſeqvium præſtare debemus.

a) Hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 30. p. m. 156.

§. 16. Neqve tamen in eo, qvod generaliter de juramentis in ſomno diximus, turbare nos debet, qvod objici poſſit: in juramento invocari nomen divinum, aut, quod juramentum piſcatoris apud Theocritum attinet, id referendum eſſe ad vota, in qvibus promiſſio fit immediate Deo, nam nec hæc circumſtantia in ſe conſiderata novam licentiam aut novam obligationem introducit; ſed vel maxime ex reliquis promiſſionum & votorum requiſitis eſt dijudicanda. Notabilis hanc in rem eſt Canon Concilii Africani *a*) a Gratiano in decretum *b*) relatus: *Placuit, ut altaria, qvæ paſſim per agros & per villas tanqvam memoriæ martyrum conſtruuntur, in qvibus nullum corpus aut reliqvia martyrum condita probantur, ab epiſcopis, qui locis iisdem præſunt, ſi fieri poteſt, everterentur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut, qui recte ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devicti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter accipietur, niſi ubi corpus aut reliqvia certa ſunt, aut origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fidelissima origine traditur. Nam qvæ per* ſomnia *& per inanes qvaſi revelationes qvorumlibet hominum ubicunqve conſtituuntur altaria, omnino reprobentur.*

a) can. 14. Concil. Carthag. 5. in ſumma Caranzæ p. 181. b) can. 26. diſt. 1. de conſecr.

§. 17. Inter vota alias referri poteſt & votum jejunii, qvod uti cæteris paribus non ſimpliciter damnat Eccleſia noſtra; ita abu-

abuſus ejus Pontificiis non infreqvens vel ex ipſo tamen Juris Canonici corpore refutari poterit. Qvid enim aliud faciunt, qvi immodice jejunio dant operam, qvam ut meritis jejunii, tanqvam bono aliqvo opere inflati, opera charitatis omittant, aut certe ſanitatem corporis & ſenſuum integritatem per jejunia & ea ſubſeqventes vigilias freqventes deſtruant: Atqve hi ſibi dictum putent, qvod ex Hieronymo retulit Gratianus. *a) Non mediocriter errant, qvi bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qvi vel jejunium charitati aut vigilias præfert ſenſus integritati, ut propter abſtinentiam immoderatam -- amentiæ aut triſtitiæ notam incurrat. -- Audiant itaqve, qvi ea, quæ neceſſaria ſunt, corpori ſubtrahunt illud, qvod per Prophetam Dominus loquitur: (Ego Dominus odio habens rapinam holocauſtorum) de rapina vero holocauſtum offert, qvi ſive ciborum nimia egeſtate vel ſomni penuria corpus immoderate affligit* &c. Qvanqvam & ipſi Canoniſtæ in jejuniis conſvetis, (qvæ ex Zachiæ qvidem ſententia *b*) ab antiqvorum jejuniis multum diſſident, ut illorum reſpectu vix credat carnem ab iis notabiliter affligi poſſe) concedant perſonis jejunantibus, ut anteqvam cubitum eant, cœnulam aliqvam ſomni cauſa, in cujus rationes & qvantitatem fuſis inqvirit ipſe Zachias. *c*)

a) can. 24. diſt. 5. de conſecr. b) qvæſt. med. leg. lib. 5. t. 1. qv. 9. n. 1. c) d. qv. 9. per integr.

§. 18. Anteqvam ad obligationem ex delictis oriundam progrediamur, non poſſum non corollarii qvaſi loco ſubjungere reſponſum Caji. Conſtat actionem redhibitoriam non tantum ob morbum vitiumve, ſed & ob promiſſum inſtitui poſſe. *a*) De poſteriori itaque caſu ſic Jure Conſultus *b*): *Si qvid venditor de mancipio affirmaverit, idque non ita eſſe emtor qveratur, aut redhibitorio aut æſtimatorio, id eſt, qvanti minoris, judicio agere poteſt; verbi gratia, ſi conſtantem aut laborioſum, aut curracem*, vigilacem *eſſe, aut ex frugalitate ſua peculium acquirentem affirmaverit, & is ex diverſo levis, protervus, deſidioſus*, ſomniculoſus, *piger, tardus, comeſor inveniatur: hæc omnia videntur eo pertinere, ne id, qvod affirmaverit venditor, amare ab eo exigatur, ſed cum qvodam temperamento, ut ſi forte conſtantem eſſe affirmaverit, non exa-*

ta gravitas & constantia, quasi a Philosopho desideretur, & si laboriosum & vigilacem affirmaverit esse, non continuus labor per dies noctesqve ab eo exigatur, sed haec omnia ex bono aqvo modice desiderentur. Idem & in caeteris, qvae venditor affirmaverit, intelligimus. Atqve haec qvidem Oedipo non habent opus.

a) l. 38. §. 10. de Ædil. Edict. b) l. 18. pr. eod.

§. 19. Major scrupulus ex iis nasci posset, qvae in eodem capite de servo, qvi urinam facit, ex Pedio scriptum reliqvit Ulpianus *a*), eum pro sano habendum esse, si somno vinoqve pressus aut ex pigritia surgendi in lecto urinam faciat; non esse sanum, si vitium id proveniat ex vitio vesicae. Hic enim disqvirendum foret, an ea, qvae JCtus de *somno vinoqve* affert, etiam disjunctive procedant, ut nec is ut non sanus redhiberi possit, qvi solo somno sepultus lectum conspurcat, qvorsum inclinat Gothofredus *b*), an vero praecise de eo, qvi somno & vino conjunctim pressus sit, loqvatur, qvod nobis videtur probabilius. *c*) Sed cum aedilitii edicti qvoad servorum venditionem hodie rarior sit usus, qvaestionem hanc dirimendam relinqvimus Medicis.

a) l. 14. §. 4. eod. tit. b) ad d. l. 14. lit. b. c) conf. Zach. qvaest. med. leg. l. 2, tit. 3. qv. 15. n. 12. f. m. 219.

CAPUT V.

De

JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA IN DELICTIS.

SUMMARIA.

Exponitur l. 27. §. 9. ad l. Aqvil. de servo, qui ad fornacem obdormivit §. 1. An Dominus ovium de damno dato conveniri possit, cujus opilio dormiens in causa fuerit, ut oves alteri damnum darent? §. 2. & 3. Medicus si apium praescripserat, & pharmacopaeus dedisset opium, uter teneatur propter damnum datum. §. 4. Qvid si Pharmacopaeus ex proprio instinctu opium dedisset? §. 5. Qvid si minister Pharmacopaei ex negligentia opium subministrasset? §. 6. Somnia ap. Romanos Imperatores qvandoqve Lege Julia majestatis notata §. 7. Qvatenus ob

cogitationes quis habeatur pro reo majestatis §. 8. Rationes pro justitia punitorum somniorum in hoc crimine §. 9. Distinctione controversia sopitur §. 10. Abusus legis Julia ap. Romanos tempore potissimum Tiberii §. 11. item tempore Neronis, ubi somnus in spectaculis erat periculo §. 12. Factum Ptolemæi Aristomenem, qui eum a somno excitaverat, interficientis. §. 13. Pœna parentum, infantes in somno opprimentium §. 14. Pœna noctambuli aliquem interficientis §. 15. 16. 17. An aggressus a noctambulo possit ipsum interficere? §. 18. Sub prohibitione vendendi veneni §. 19. an comprehendatur opium? §. 20. 21. Maleficium somnificum §. 22. Divinatio ex somniis an sit magia species? §. 23. Ea jure divino §. 24. & humano olim prohibita §. 25. Somnia lasciva an pœna obnoxia? §. 26. Quid si noctambulo aliquam per vim stupret? §. 27. Quid si vigilans stupret dormientem. Explicatur Const. Elect. 26. part. 4. contra Carpzovium § 28. 29. Lenocinium committitur etiam per simulationem somni §. 30. Pœna militis dormientis in excubiis §. 31. Pœna sacerdotis ob somnum intempestivum confessionem revelantis §. 32. Somnus in templo non captandus, præprimis tempore cultus divini. Vigilia in cœmeteriis prohibita. Luxus circa somnum §. 33.

§. 1

DElicta, ut notum est, sunt vel publica vel privata. Inter privata est damnum legis Aquiliæ, cujus intuitu de eo, qui ad fornacem obdormivit, est elegans textus Ulpiani *a*): *Si fornicarius servus coloni*, qui ad succedendam & custodiendam fornacem habebatur, *ad fornacem obdormisset*, ignemque non extinxisset vel muniviſſet, ne evagetur & incendio oborto *villa fuerit exusta; Neratius scribit*, colonum *ex locato conventum præstare debere* damnum datum; quod tamen non in universum procedet, sed tum demum, *si negligens in eligendis ministeriis fuit*, aut alias debitam patrisfamilias diligentiam non adhibuit. *Cæterum si alius* servus *ignem subjecerit fornaci, alius negligenter custodierit*, aut prope fornacem obdormiverit, & incendium fuerit obortum, nullaque culpa colono imputari possit, *an* ex istis *tenebitur qui subjecerit*, an qui non custodierit, aut obdormiverit? *Nam* pro singulis est ratio dubitandi. *Qui* enim negligenter *custodiit*, *nihil fecit* ex quo damnum oriretur, *qui recte ignem subjecit, non peccavit*, qui

obdormivit, rem naturalem passus est. *Quid ergo est? Puto* liberandum quidem esse eum, qvi ignem recte subjecit; *utilem* autem legis Aqviliæ *competere actionem tam in eum, qui ad fornacem obdormivit, quam in eum, qvi* vigilans *negligenter custodiit. Nec qvisqvam dixerit, in eo, qvi obdormivit, rem eum humanam & naturalem passum, cum deberet vel ignem extingvere, vel ita munire ne evaggetur*, & ita non tam propter actum dormiendi qvam propter omissionem actionis, qvam vigilans facere debebat, actio adversus ipsum concedatur. Usus hujus textus insignis est adversus eos, qvi putant, legem Aqviliam coercere tantum culpam commissionis, non omissionis. *b*) Expresse enim hoc loco ob omissionem extinctionis concedi JCtus asserit. Et qvamvis idem Ulpianus alio in loco *c*) sibi hac parte videatur contradicere, dum dicit, usufructuarium, qvi agrum non proscindit, qvi vites non subserit, item aqvarum ductus corrumpi patitur, lege Aqvilia non teneri; sunt enim hæc exempla omnia culpæ omissionis; tamen non deest, qvod huic objectioni respondere possimus. *d*)

a) *l. 27. §. 9. h. t.* *b*) *qvos inter est Zæsius ad ff. ad l. Aqvil. n. 7.* *c*) *l. 13. §. 2. de usufr.* *d*) *vide prolixius Dn. Præsid. ad Strauch. diss. 19. th. 10. p. 254.*

§. 2. Affinis præcedenti casui est, & ad ulteriorem expositionem legis Ulpianeæ facit, si opilio dormiens in causa fuerit, ut oves pastu vel alio modo alteri damnum dederint; Nullum enim hic esse dubium arbitror, qvin opilio ob culpam commissam legis Aqviliæ actione conveniri possit *a*). Sed an dominus ovium eadem actione teneatur, ut is, cui damnum datum est, electionem habeat, utrum dominum vel opilionem convenire velit, qværitur. Sunt qvi hoc statuunt eo ipso in culpa dominum constituentes, qvod elegerit pastorem neqvam *b*). Sed verior nobis videtur sententia adversa. Et qvod de culpa domini afferebatur ex textibus juris Romani, ad rem præsentem non conducere putamus. Aut enim circa res proprias utitur qvis opera hominis negligentis aut circa res alienas. Ibi ipse sibi imputare debet & de se qveri, si damnum patiatur *c*), non tam qvod culpam aliqvam commiserit, qvam propter suam facilitatem *d*). Nec hoc eo pertinet, ut in ipsum aliqva detur actio, sed ne ipsi detur, qvamvis nec hoc

qvi-

qvidem sit perpetuum, non dari actionem ei, qvi ex negligentia amici sui, qvo cum contraxit, damnum sensit, sed pro varietate contractuum variet, & in allegatis §. §. potius ad objectionem tacitam videatur responderi, qvam genuina reddi ratio actionum ibi limitatarum. Ubi vero qvis opera hominis negligentis utitur circa res alienas, ibi culpam ei aliqvam imputari interdum (nam nec hoc *e)* est perpetuum) & ob hanc eum conveniri posse non negamus *f)*. Sane ad actionem locati culpa ista putativa sive præsumta non sufficit, sed reqviritur, ut veram admiserit conductor *g)* utve revera negligens fuerit in eligendis ministeriis. *h)* Qvod si nostrum casum ad præmissa exempla examinemus, aliena omnia deprehendemus & nihil facientia ad rhombum. Qvi ovibus in agro, ubi jus sibi est, pascendo præficit opilionem, circa res proprias versatur. Jam si opilio ex culpa oves in alieno damnum dare patiatur, dominus qui id prævidere non poterat, nihil peccavit. Nec electio opilionis semper est penes dominum pecoris. *i)*

a) arg. l. ult. C. de lege Aqvilia. b) §. *fin. Inst. de societate* §. *fin. vers. cum enim Inst. de Obl. qvæ qvasi ex delict. l. si servus servum* 27. §. *si fornicarius* 9. *ff. ad L. Aqvil. l. videamus* 11. *pr. ff. locati. c) d.* §. *fin. Inst. de societate, d) ut* §. *præterea* 3. *qvib. mod. re contrah. oblig. e) vid. l. f. pr. &* §. 4. *ff. naut. caup. stabul. f) d.* §. *fin. Inst. de oblig. qvæ qvasi ex del. g) d. l.* 11. *ff. locati. h) d. l.* 27. §. 9. *ad L. Aqvil. i) adde B. Thoma de noxia animal. c.* 16. *n.* 72. *seq. p.* 136. *seqq.*

§. 3. Hinc facile patet qvid sentiendum sit de seqventi responso, qvod refert Richterus *a)*: Hat nechst verschienen ersten Sonntag nach Ostern euer Knecht die Schaafe auf die Weyde getrieben/und darauff nicht achtung geben/und ihme den Schlaff belieben lassen/darüber das gantze Winterfeld gangen. Wenn nun gleich solches ohn euer Gegenwärtigkeit / Willen und Bewust geschehen/so seyd ihr doch dem Rath zu Weißensee/von welchem ihr die Schäfferey zu Lottersborn auff etliche Jahr angenommen/eine ziemliche Geld-Straffe zu erlegen/ auch den Schaden auff gebührliche Besichtigung abzutragen schuldig ꝛc. Scilicet nititur hoc responsum modo refutata hypothesi, ac si paterfamili-

ut ex negligentia familiæ ſuæ & culpa domeſticorum teneatur ad reſtitutionem & intereſſe. Id enim aperte profitetur Richterus eamqve in rem citat Carpzovium *b*), apud qvem ſimile reſponſum pro defendenda iſta hypotheſi communi deprehendes. Nobis præter dicta vel id ſufficere poſſet, qvod Sereniſſimus Elector ſententiam noſtram in qvæſtione affini de patrefamilias: an incendii damnum culpa familiæ ſuæ datum reſarcire teneatur? approbaverit, atqve Carpzovii opinionem rejecerit. *c*)

a) *vol. 2. conſ. 350. in f.* *b*) *part. 4. conſt. 17. def. 13.* *c*) *deciſ. nouiſſ. 79.*

§. 4. Pertinet ad legem Aqviliam & Medici imperitia, ſi perperam v. g. ſervo medicamentum dederit *a*) & hodie ex conſtitutione Carolina punitur arbitrarie *b*). Eadem ratio eſt, ſi alia culpa medici damnum fuerit datum. Notabilis caſus aliqvando contigit. Medicus pro more malis literis in recepto, ut vocant, præſcripſerat ægrotanti apium. Pharmacopœus pro Apio legerat Opium, quod, ut notum eſt, vim habet ſomnificam ſæpius damnoſam. Igitur medicamento præparato pro ſalute mors data eſt ægro *c*). Qværi poterat, utrum conveniri potuiſſent medicus & pharmacopœus, aut unus eorum & uter, legis Aqviliæ actione? Subliſto. Pro medico qvippe dici poteſt, ad culpam ejus non pertinere, qvod male ſcribat, cum ſecundum vulgatum proverbium (nos docti male ſcribimus) ille defectus fere communis ſit eruditis. Ulterius etiamſi ad culpas referri debeat, non tamen ſpectare videtur iſta culpa ad legem Aqviliam, cum lex Aqvilia coerceat ſaltem culpam, qvæ cauſa vera fuerit damni dati. *d*) At hæc Medici culpa fuit ſaltem cauſa per accidens aut ſine qva non. Pro pharmacopœo vero etiam videtur afferri poſſe, non ipſi imputari poſſe, ut culpam, qvod literam male exaratam accurare dignoſcere non potuerit, neqve enim hoc ſpectare ad artem ſuam, ſed tantum ut intelligat nomina herbarum ac medicamentorum eaqve ſecundum normam a Medico præſcriptam miſceat. Igitur forte hic caſus tanqvam maxime inopinatus pro fatali foret habendus, neqve locus dandus pœnæ arbitrariæ Conſtitutionis criminalis, cum ad præfatum ejus articulum *e*) non videatur applicari poſſe.

a) §.

a) §. 7. Inſt. ad L. Aquil. b) artic. 134. c) vid. Mylii Hortum Philoſ. p. m. 523. d) vid. Dn. Præſid. ad Strauch. XIX. 17. p. 264. ſeq. e) ſcil. d. art. 144.

§. 5. Aliud dicendum foret, ſi pharmacopœus ex proprio inſtinctu & temeraria qvadam audacia artem curandi ſibi vindicans imperite Opium dediſſet. Qvoniam enim apud nos Pharmacopœi non licite praxin medicam exercent *a)*, eo magis peccabit majoremve committet culpam, ſi aliena officia invadens, ex imperitia qvid admittat & damnum det, unde & reſponderunt Medici Lipſienſes *b)*, chirurgos qvi opiata ægrotantibus inconſiderate ſubminiſtrantes ſæpius cauſa damni & mortis fuerant, eos peccaſſe tum in Medicinam, tum in ſalutem proximi contra qvintum Decalogi præceptum. Qvapropter & in hujusmodi caſu locum haberet haud dubie præfata Conſtitutionis Carolinæ pœna.

a) vid. D. Amman. Med. crit. caſ. 65. b) ap. eund. caſ. 62. p. 384.

§. 6. Qvod ſi vero miniſter pharmacopœi ex imperitia vel negligentia damnum dederit, forte, dum opium diſtincte ſcriptum fuerit, opium ſuppeditando, an & tum Pharmacopœus teneri debebit? Ita pronunciant conſilia Academiæ Altorfinæ, *a)* qvia Dominus ſuo periculo ejusmodi miniſtros adhibuerit & aliqvatenus culpæ reus ſit, qvod opera imperiti hominis uſus fuerit, cum oportuerit eum explorare, cujus peritiæ & fidei eſſet, qvem adhibuit. *b)* Et hæc multo magis dicenda ſint, ubi de vita hominis agitur, re omnium pretioſiſſima, qvæ facillime in diſcrimen adducitur extremum, ſi in medicamenti præbitione vel pauxillum erratum & aliud pro alio, ne dicam res venenata & noxia pro ſalutari pharmaco data fuerit. Nec obſtat, qvod ſupra *c)* diximus, actionem non concedi, ſi qvis in re propria opera negligentis miniſtri fuerit uſus; nam pharmacopolium & medicamenta in eo inter res mere proprias non ſunt referenda, ſunt enim comparata in utilitatem publicam. Sed & hic tamen diſtingvendum arbitror, an pharmacopœus fuerit negligens in eligendis miniſteriis, *d)* an minus, adeoqve ſi ab initio examinaverit miniſtrum in arte, nullamqve imperitiam in examine debito modo inſtituto in eo deprehenderit, & ipſe per aliqvot temporis ſpatium expertus fuerit, eum in præparatione medicamentorum non eſſe negligentem,

ſuper-

ſuperveniens aliqva negligentiam aut occultam miniſtri imperitiam domino imputari non poſſe arbitror.

a) edita a Rittershuſ. conſil. 31. p. m. 127. b) arg. §. ult. Inſt. de oblig. qvæ ex qvas. delict. naſcuntur. l. 5. §. f. de O. & A. l. f. Nautæ caup. ſtabul. c) §. 2. d) arg. l. 27. §. 9. ad L. Aqvil.

§. 7. Tranſeo ad crimina publica. Inter ea eminet crimen læſæ majeſtatis, utrum & hoc per ſomnium committi poterit? Si exemplis judicandum foret facile affirmativa ſe inſinuaret. Sub Claudii Imperio referente Tacito *a*) *Equiti Romano nocturna quietis ſpecies objecta fuit, tanquam vidiſſet Claudium ſpice a corona evinctum, ſpicis retro converſis, eaqve imagine gravitatem annonæ dixiſſet. Qvidam pampineam coronam albentibus foliis viſam atqve ita interpretatum tradidere, vergente autumno mortem principis oſtendi. Illud haud ambigitur, qvalicunqve inſomnio ipſi fratriqve perniciem allatam.* Similia crimina tempore Conſtantii punita fuiſſe narrat Ammianus Marcellinus *b*): *Mercurius, ait, --- ſi per qvietem qvisqvam, ubi fuſius natura vagatur, vidiſſe aliqvid amico narraſſet, id venenatis artibus coloratum in pejus, patulis Imperatoris auribus inferebat, & ob hoc homo tanqvam inexplicabili obnoxius culpæ, gravi mole criminis pulſabatur. Hæc augente vulgatius fama, tantum aberat, ut proderet qvisqvam viſa nocturna, ut ægre homines dormiſiſſe ſeſe præſentibus faterentur externis, mœrebantque docti qvidam, quod apud Atlanteos nati non eſſent, ubi memorantur ſomnia non videri.* Qvoniam vero exemplis non judicandum eſt, ſed ratione vel legibus, ideo alia via hic erit eundum.

a) Annal. XI. c. 4. b) Hiſtor. lib. 15. p. m. 38. edit. Lindenbrogii.

§. 8. Atque adeo id qvidem conſtat, non eſſe in arbitrio noſtro, qvas per ſomnum imagines phantaſia formet, ideo non poſſunt etiam imputari illa, qvæ qvis in ſomniis agere ſibi videtur, niſi qvatenus talibus interdiu cogitandis cum delectatione immorans eorum imagines alte animo impreſſit. *a*) Deinde etſi in hoc ultimo caſu aliqvatenus homini imputari poſſint præcedentes cogitationes, regulariter tamen iſta imputatio in pœnam non eſt ſufficiens in foro humano, etiamſi poſt caſu qvodam, puta per ſubſeqventem confeſſionem, ad notitiam aliorum perveniant, qvia

qvia sunt actus mere interni, per quos nemini noxa infertur, adeoque nullius hominis interest, ut ob eosdem qvispiam puniatur *b*), qvorsum omnino videtur respexisse JCtus, dum, cogitationis pœnam neminem pati, inculcavit *c*). In contrarium tamen afferri videntur posse seqventia. Hactenas regulas fuisse traditas, qvas nemo forte negaverit. At in læsæ majestatis crimine, qvod omnium maxime lædit Rempublicam, esse exceptionem a regula. Etsi enim forte legibus Romanis Justinianeis cogitationes ejusmodi neqve hic puniantur *d*), non tamen in præsenti qvæstione & potissimum in recensitis casibus videndum, qvid legibus Justinianeis justum sit, sed qvid in genere Principibus qvibuscunqve jure & ex dictamine rectæ rationis liceat. At vero in crimine læsæ majestatis non dicam taciturnitatem & conscientiam criminis, ut exemplo Thuani *e*) patet, sed & cogitationes etiam puniri, si in notitiam veniant, ex variorum populorum moribus declarari potest. In Anglia sola cogitatio de offendendo Consiliario Status mortis meretur pœnam *f*) In Gallia cum nobilis homo Franciscum I. occidere se voluisse Franciscano sodali religiose confiteretur, & ab eo sceleratæ istius cogitationis veniam efflagitasset, Rex a fraterculo sceleris admonitus confitentem reum comprehendi ac Judicibus curiæ Parisiorum sisti jussit, a qvibus capite damnatus est. *g*) Atqve huc forte respexit & aurea Bulla, dum disposuit, in hoc crimine voluntatem sceleris eadem severitate qva effectum puniri *h*), pro cujus rigoris justitia adduci poterit, cogitationes ejusmodi qvatenus sunt motus secundi, suo modo in potestate hominis esse, adeoque si vitiosæ sint, ipsi posse imputari & quamvis per eas directo nemini inferatur noxa, quatenus mente retinentur, non tamen hoc loco tam ipsas puniri, qvam qvod in notitiam aliorum pervenerint, ac si scandalum aliis fuerit præhibitum, ad qvod tollendum exemplo opus sit, neqve esse omittendam sui cautionem principi, justumqve esset timorem ab eo, qvi tanti sceleris malitiam etsi imperfectam semel contraxit, adeoqve etsi iniqvitatis adhuc paululum lateat in pœna capitali cogitationum, eandem tamen uti in omni magno exemplo utilitate publica compensari. *i*).

a) *Dn. Pufend. de J. N. lib. 1. cap. 5. §. 11. b*) *Idem illustris autor l*

g. c. 3. §. 14. c) l. 18. ff. de panis, d) arg. d. l. 18. non obſt. l. 5. pr. verb. cogitaverit C. ad l. Jul. maj. vid. Dn. Præſid. ad Strauch. Ex. 29. th. 3. p. 437. e) vide Priolum lib. 1. c. 4. & 6. f) l' Autheur de l' hiſtoire du miniſtere du Cardinal de Richelieu part. 2. p. 182. En Angleterre, ſi quelqvun eſt convaincu d' avoir eu ſeulement la penſee d' offenſer un Conſeiller d' Eſtat, tien qv'il ne l' ait pas mis en execution, la loix du pays veut, qv'il per de la vie, comme criminel de leze Majeſte au premier coef. g) Bodinus de Rep. lib. 2. c. 5. p. m. 339. & l. 4. c. 7. p. 734. b) cap. 24. §. 1. i) vide Tacit. Annal. 14. cap. 44. n. 7.

§. 9. Ut vero ad ſomnia veniamus proprius, neqve hic abſurdum erit, ſi dixerimus, intereſſe Reipublicæ, ut illa qvandoqve obſervationi legis Juliæ Majeſtatis ſubſint. Neqve enim hic tam puniri ipſa ſomnia, tanqvam qvæ in poteſtate hominis non ſunt, ſed puniri cogitationes ſceleſtas interdiu habitas, qvarum indicia ſint ſomnia formas a mente vigilante deliberato impreſſas repetentia. Aut ſi vel hoc durum nimis aut fallax videatur, non puniri ſomnium ipſum, ſed ſcelus, qvod qvis narrando ſomnium, & qvod invito ipſi contigerat poſtea volens approbando contrahat. In crimine vero læſæ Majeſtatis etiam reos fieri poſſe, qvi initio fuerint inviti; ita M. Cæſium invitum a militibus Romanis in Imperatoris locum, qvem per nefas interfecerant, ſuffectum, capitis reum judicavit ſenatus. Sane enim, dum vis violentiaqve adeſt, abeſſe crimen, ſed eum, qui aut, dum cogitur, non repugnat, aut ſemel coactus poſtea qvieſcit, delinqvere. Inde in Concilio Ancyrano, eos, qvi vi dicebant ſe adactos idolis ſacrificaſſe, ſi cum ea maxime inferretur, non contra acclamaſſent, non profudiſſent lacrymas, deinde vero ſi in templo idolorum comediſſent, eo ornatiores conveniſſent, atqve vultum hilariorem attuliſſent, Patres cenſuiſſe, jam non vi ſed voluntate deliqviſſe. *a)* Flenda eſſe ejusmodi nefanda ſomnia, non in ſcandalum & irritamenta aliorum deteganda. Viam aperiri perduellibus, qvibus horrenda ſua crimina tegere poſſent, ſi detectio ſomniorum ejusmodi gravi pœna non coerceatur. Fore enim ut qvisqvam, qvi ſcelus id ſummum animo meditaverit, amicis rem per ſpeciem ſomnii narraturus ſit, tentans hoc modo atqve expiſcans iſtorum judi-

judicia & assensum, pronusqve si eum assecutus fuerit, larva abjecta crimen nudum sistere, id specie nocturnæ qvietis obtecturus, sæpe sua frustratus fuerit, &c.

a) vid. Ærod. Rer. jud. lib. 7. tit. 3. cap. 10. p. m. 374. seqq.

§. 10. Itaqve ut inter Scyllam & Charybdin tuti procedamus, videtur omnino detectio ejusmodi somniorum, qvæ imagines sceleris ipsius vivis coloribus repræsentarunt, jure ex dictis rationibus, capitali pœna coerceri posse. Ut si qvis narret se somnium habuisse qvasi Principem interficeret, aut qvasi cum hoc vel illo consilia de nece Principis aut turbando Reipubl. statu formaret &c. cum ex revelatione ejusmodi somniorum grave damnum omnino respublica possit incurrere. Justius tamen & hic procedi arbitramur, si publicata prius lege severe prohibitæ fuerint istæ somniorum narrationes. At quæ somnia, de eventu aliqvo incerto & non de facto proprio fuerint concepta, sive eventum ipsum depinxerint, sive sub figuris hieroglyphicis repræsentaverint; eorum revelationem, ut in legem majestatis peccantem punire velle, crudele foret atque tyrannicum. Ut si quis somniaret, mortuum fuisse Imperatorem, aut alium qvendam Imperatorem fuisse electum, aut alium perduellionem in rem publicam tentasse, &c qvæ esse possunt similia.

§. 11. Ad posteriorem vero classem utiqve pertinuerunt somnia, ob qvæ tempore Claudii & Constantii in innocentes fuit animadversum. *a)* Fuit vero Legis Juliæ in primis seculis maximus abusus potissimum tempore Tiberii. Refert enim Seneca *b)*; Paulum virum Prætorium fuisse delatum, qvod annulum, in qvo erat imago Tiberii, matellæ & obscœnis admovisset, & Lucius Ennius Eqves inter reos majestatis fuit delatus, qvod imaginem Principis ad promiscuos argenti usus adhibuerit *c)*. A Caracalla Imperatore damnati sunt, qvi urinam in eo loco fecerant, in qvo imagines erant Principis. *d)*. Sub Domitiano mulier interfecta, qvod ante statuam Principis exuisset. *e)*. Ergo non mirandum, si & in somnia innoxia fuit animadversum.

a) vide §. 7. b) lib. 3. de benefic. c. 26. c) Tacitus Annal. l. 3. Plura vid. ap. Sveton. c. 58. in Tiberio. d) Spartianus in vita c. 5. p. m. 226. seq. e) Xiphilinus in Domitiano.

§. 12. Quin nec ſomnus tum temporis ſine capitis periculo adhiberi poterat etiam in rebus ludicris & nullius momenti. Etenim cum Nero pudendo exemplo publice hiſtrionem ageret, gravior inerat nobilibus metus, ſi ſpectaculo defuiſſent, ne ſcilicet abſentia ipſis, quaſi Principem contemnerent, imputaretur. Igitur alii dum diem noctemqve ſedilibus continuant, morbo exitiabili correpti ſunt. Sed tamen & præſentia æqve periculi plena, cum multi palam, plures occulte adeſſent, qvi nomina ac vultus, alacritatem triſtitiamqve coëuntium ſcrutarentur. Unde tenuioribus ſtatim irrogata ſunt ſupplicia, adverſus illuſtres diſſimulatum ad præſens & mox redditum fuit odium. Ac Veſpaſianus a Phœbo liberto tanqvam ſomno conniveret, eſt increpitus, ægreq; meliorum precibus fuit obtectus. *a*) Quæ flagitia Neronis prolixe demonſtrare non attinet, cum nulla circumſtantia pro iis excuſandis hiſtoria allata ſuppeditet.

a) *Tacit. l. 16. Annal. c. 5.*

§. 13. Non diſſimilis tyrannidis exemplum dedit Rex Ptolemæus. Cum enim eum magiſter ejus Ariſtomenes in præſentia Legatorum dormitantem excitare inſtituiſſet, adulatores Regis ſtomachabantur, non decere videlicet, ut ſi ſomnus eum multis laboribus & vigiliis defatigatum oppreſſiſſet, quisqvam in hominum conſpectu admoneat, ſed debere iſta ſeorſim fieri, ne reverentia Regi debite lædatur. Igitur Ptolemæus Ariſtomeni virulentum poculum miſit, juſſitqve ut id hauriret. *a*) Etſi enim concedamus Ariſtomenem aliqvatenus reverentiam Principi debitam hac parte violaſſe, cum & ſimplicis amicitiæ leges exigant, ut ne alterum facile in aliorum præſentia corripiam, *b*) & alias moleſtus ſit jucundum ſomnium videnti qvi excitat, aufert enim voluptatem etiamſi falſam, effectum tamen vere habentem *c*); hæc omnia tamen minime ad læſæ majeſtatis crimen & pœnam capitalem ſunt ſufficientia.

a) *vid. Plutarch. de adulatore & animo diſcernendo f. m. 272.*
b) *qvod latius exemplis illuſtrat Plutarch. d. l. c*) *Seneca Epiſt. 102. init.*

§. 14. Poſt læſæ majeſtatis crimen graviſſimum fere eſt homicidium, qvod coërcuit lex Cornelia de Sicariis & veneficiis.

Hic

Hic initio quæri poterat: An & qva pœna puniendi ſint parentes vel etiam nutrices infantes in ſomno opprimentes. Eſt eqvidem ea de re Epiſtola Pontificis, ſed obſcurior illa & generalis nimis. *De infantibus*, ait Lucius *a*), *qui mortui reperiuntur cum patre & matre, & non apparet, utrum a patre vel a matre oppreſſus ſit ipſe vel ſuffocatus, vel propria morte defunctus, non debent inde ſecuri eſſe parentes, nec etiam ſine pœna. Sed tamen conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuerit. Si autem eos non latet, ipſos interfectores eſſe, ſcire debent ſe graviter deliqviſſe. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant eſſe debere, quorum unum peragant in pane & aqva.* Ideoqve diſtinguentium opinio hic videtur locum habere, utrum perſona infantem opprimens juſtum prætextum habeat infantem in lectum ſumendi, & forte ex nimia laſſitudine ſomno inopinato opprimatur, & ita infantem opprimat, tunc enim ob ceſſantem hic culpam pœnam qvoqve ceſſare debere. At ſi mulier ebria fuerit, aut nutrici contra prohibitionem parentum infantem in lectum ſumenti id contingat, ob culpam pœnam extraordinarium vel relegationis vel carceris vel mulctæ pecuniariæ locum habere. *b*) Ita reſponderunt Scabini Lipſienſes anno 1603. verſus Weiſſenſee. Hat J. P. ſein Kind nur eines Jahres alt/ truckener weiſe zu ſich ins Bette genommen/ dahero erfolget/ daß er es im Schlaffe erdrücket und erſticket/ daran auch die Magd ſo des Kindes halben gemietet etlicher maſſen Schuld gehabt/ daß ſie ihme als einem trunckenen Manne das Kind folgen laſſen ꝛc. So werden ſie beyde wegen ſolcher Verwarloſung 8. Tage lang mit leidlichem Gefängnis billich in Straffe genommen.

a) *c. 3. x. de his qui filios occid. b*) *vid. Quirin. Kubach cent. 1. mul. decad. 8. qu. 5. Gomez. l. 3. reſol. c. 3. n. 19. Magnif. Dn. Ziegl. ad Lancell. Inſtit. Jur. Canon. l. 1. tit. 25. §. 11. p. 175. Carpz. Pract. Crim. qv. 15. n. 33.*

§. 15. De noctambulis freqvens Doctorum eſt qvæſtio, an, ſi qvis ita dormiens alterum interfecerit, puniri ut homicidia debeat? *a*) Neqve enim deſunt caſus, ubi ejusmodi homicidia contigerint. Juvenis qvidam *b*) cum pridie cum colluſore in contentionem veniſſet, de nocte per ſomnum conſurgebat, ſumtaqve de

pariete ſica adverſarium in proximo cubiculo confodiebat. Qvo facto reverſus ad lectum ſomnum porro in multam lucem protrahebat, donec a lictoribus excitatus fateretur, viſum ſibi in qviete quod ſocio manum intuliſſet. Similiter de Anglo qvodam refert Zabarella *c*), qvi dormiens Pariſiis de nocte exiverat monaſterium Benedicti usqve ad flumen Seqvanæ, ubi & puerum repertum interfecerat. Atqve idem domum reverſus adhuc dormiens collocavit ſe in lecto. De his igitur & ſimilibus caſibus ſi verba conſtitutionis Clementinæ *d*) nude penſitemus, dicendum videtur, eos non eſſe puniendos. *Si furioſus, aut infans*, ait Pontifex, *ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qvi mortem aliter vitare non valens ſuum occidit vel mutilat invaſorem.* Qvin & ſi in mentem Pontificis inqviramus, comparat dormientem cum furioſo, infante, & eo, qvi moderamine inculpatæ tutelæ uſus fuit. Atqve hi qvidem, ut conſtat, non puniuntur; Ergo neqve dormiens ſeu noctambulo punietur.

a) *vid. Gail. l. 2. Obſ. 110. n. 29. Menoch. de A. J. Q caſ. 327. Zach. Qveſt. Medico-Legal. l. 2. t. 1. qv. 12. n. 14. ſeqq. Barboſa ad Clement. unic. de homicid. & plures, qvi ab his citantur. b*) *vid. Neuhuſ. l. 2. fatid. c. 2. §. 2. p. 15. c*) *in d. Clement. unic. de homicid. d*) *d. Clement. unic.*

§. 16. Sed rectius Doctores præfati id univerſaliter non procedere, ſed potius Clementinam limitatione indigere ſtatuunt, dormientem qva talem non eſſe puniendum, puniri tamen poſſe ob culpam præcedentem vel dolum ſubſeqventem. Si enim qvis dormiens ſciverit ſe habere conſvetudinem ſurgendi & lædendi alios, in culpa eſt, ſi ſolus non dormierit vel non curaverit cubiculum claudi; item ſi rixa cum aliquo præceſſerit, & noctambulo ſciens cum altero dormiverit in una domo atqve arma non abſconderit, culpa eſt, & in hoc caſu homicida neqvaqvam furioſo erit comparandus, ſed potius putatori arborum, qvi prope viam publicam aut vicinalem ramo dejecto alicui damnum dederit, ſi non proclamaverit, ut caſus evitari potuerit. *a*) Hunc igitur puniendum eſſe volunt, ſed extra ordinem ſaltem ut homicidam culpoſum. Neqve obſtat, qvod ſomnia plerumqve ſint indicia

dicia affectuum in vigilantibus, atqve ſic præprimis in eo, qvi cum altero rixatus fuerat, præſumi eum in vigilia cogitaſſe de altero interficiendo. Qvemadmodum enim hæc indicia qvandoqve fallunt, ita etiamſi qvis vigilans deſiderium habuerit inimici occidendi; potuiſſet tamen ratione ſui juris exiſtente deſiderium illud coërcere. At in ſomno voluntas non erat libera nec intelligebat, qvod perpetrabat. Qvod ſi vero qvis homicidium in ſomno commiſſum vigilans ratihabuerit, & approbaverit, pœna ordinaria plectendum eſſe homicidam non male Doctores dictaverunt, fuit enim tum, ut Philoſophi loqvuntur, ignorantia ſaltem actionis comes, non cauſa.

a) §. 5. Inſt. de L. Aquilia.

§. 17. Atqve ita Doctores circa hanc qvæſtionem diſtinguentes ſeqvi malo, qvam ſententiam Pappi, cujus hæc ſunt verba *a*): Allein Jacob Bonjour *b*) ſchreibt / daß man in ſolchem Fall / wie auch wenn ein franckſinniger / der am Haupt nicht wohl verwahret iſt iemand tödtet, ſich bey der hohen Obrigkeit Beſcheids erholen ſoll. Welche Meynung mir ſehr wohlgefällt / aus Urſachen / die er daſelbſt *c*) einführet. Und wenn mir ein ſolcher caſus vorkommen ſolte / würde ich hindangeſetzt aller andern / wiewohl hochgelehrten Männer Gutdüncken / mich an dieſelbe Meinung halten. Suum cuiqve pulcrum. Patiamur Pappum ſuo abundare ingenio & defectum pati judicii. Eſt hoc conſilium pro iis, qvi fundamenta Juris egregie non docti hæſitant, qvoties caſus obvenit, qvi non expreſſis verbis legibus eſt definitus. Non fatigandus eſt princeps bonus qvæſtionibus, niſi de rebus arduis & obſcuris. Ipſe Tiberius etſi tyrannus patres obliqve caſtigavit, qvod cuncta curarum ad principem rejicerent *d*) Qvin & vir ſapiens paratus eſſe debet in ejusmodi qvæſtionibus Principi, qvi non ſemper jura in ſcrinio pectoris ſervat, conſulere. Qvod ſi vero qvis hac parte ſibimet ipſi diffidat, JCti nomen non meretur.

a) in annot. über das Holländiſche Kriegsrecht *Art. 3. p. m. 49.*

b) in axiomat. l. 1. Pandect. ad l. 14. ff. de offic. præſid. n. 4.

c) n. 3. d) Tacit. Annal. l. 3. c. 35.

§. 18. Qvod ſi autem ejusmodi noctambulo diris agitatus inſomniis aliqvem invadat, an invaſus poterit ſe defendere cum inva-

invadentis interneccione, fraliter evadere non possit? qværitur. Ita qvidem arbitror, cum nullum ipsi jus sit alterium invadendi, & nulla causa appareat, qvare alter propriam salutem post ipsius habere debeat. Etsi enim ejusmodi invasor dolo malo careat, jus tamen defensionis, ut recte monet Grotius, *a)* primario & per se nascitur ex eo, quod natura qvemque sibi commendat, qvodqve adeo non possit non quisqve omni conatu ad propriam salutem expediendam incumbere, non autem ex injustitia aut peccato ejus, abs qvo periculum intentatur. Scilicet ad innocentiam defensionis sufficit, qvod alteri non sit jus ad me invadendum & occidendum, neque in me sit obligatio mortem citra reluctantiam subeundi. De cætero cum proprius amor omnes alias considerationes (scilicet præter socialitatem) longe superet, non potest non naturaliter homo in pari cum altero periculo constitutus, non sibi potius qvam alteri consulere, & cum periculum illud ab altero mihi immerenti creetur, eo minus invidiosum est malum in autorem suum recidere. *b)* Nec obstat, qvod, quam modo *c)* exposuimus, Clementina comparet dormientem aggressorem cum eo, qvi moderamine inculpatæ tutelæ utitur. At hic illicite interficitur nec poterit moderamen in uno actu in utroqve habere locum. Nam instituitur illa comparatio a Pontifice non intuitu justitiæ, sed qvod neuter horum voluntatem habeat alterum interficiendi. Igitur simile non est extendendum ultra tertium. Quippe & voluntatis intuitu est differentia. Noctambulo nihil vult, is vero qvi tutela inculpata utitur, vult aliqvid, ut nempe se defendat, etsi non hoc velit, ut alterum interficiat.

a) l. 2. c. 1. §. 3. b) vid. Pufend. lib. 2. c. 5. §. 5. c) vid. §. 14.

§. 19. Pergo ad alterum legis Corneliæ caput de veneficiis. Nam Legis Corneliæ capite qvinto, qvi venenum necandi causa fecerit vel vendiderit, vel habuerit, plectitur. Ejusdem Legis pœna afficitur, qvi in publicum mala medicamenta vendiderit vel hominis necandi causa habuerit. Notatur autem solum in ea lege venenum, qvod malum & qvod hominis necandi causa habetur. Nam præterea etiam datur venenum, qvod ad sanandum est comparatum. *a)* Est enim primo venenum, notante Bartolo, *b)* qvod sua qvidem natura & per se malum ac noxium est, sed aliis sub-

is ſubſtantiis admiſtum toxicam vim exuit, & ſit bonum ac ſalutare remedium; ad qvod genus referuntur etiam ea, qvæ homini qvidem pernicioſa ſunt, ſed pecoribus & jumentis proſunt. Deinde venenum dicitur, qvod per ſe nocivum & eſt & permanet, nec ulla mixtura ſalubre effici poteſt, neqve hominibus neqve jumentis. Deniqve venenum eſt, qvod malitioſe ad occidendum hominem eſt aptatum, ſive ſit prioris, ſive ſit ſecundi generis. Lex Cornelia videtur ſecundam ac tertiam ſpeciem ſub nomine veneni mali comprehendiſſe. Unde & eæ pharmacopolis noſtris indiſtincte prohibentur. Sed prima ſpecies permittitur pharmacopolis, chirurgis, veteramentariis & pigmentariis. *c*)

a) *vid. l. 3. princ. & §. 1. ad L. Cornel. de Sicar. b*) *ad d. l. 3. c*) *vid. Conſil. Altdorffina reſponſ. 31. p. m. 129.*

§. 10. Ne tamen & hi in fraudem legis Corneliæ ejusmodi venena vendant ſub prætextu, qvaſi non vendita fuerint hominis necandi cauſa, ſed ad bonum uſum, ſapienter cavit Glorioſiſſimus Imperator *a*): Es ſollen auch die Obrigkeiten an ieden Orten die Apothecker und andere / ſo Gifft verkauffen oder damit handthieren / in Gelübd und Eyd nehmen / daß ſie niemand einig Gifft verkauffen noch zuſtellen ohne Anzeigung / Vorweiſung und Urlaubung derſelben Obrigkeit. Qvod ſi itaqve ſub hac formula juramentum a Pharmacopolis fuerit præſtitum, an ſub veneno ipſis etiam opium cenſeatur interdictum? qværi poterat. Opium maxime nocivum & venenatum eſſe communis eſt Medicorum aſſertio, qvam fuſius defendit Caſparus a Reyes *b*), contra qvam tamen ex modernis Medicis graviter diſſerit Cornelius Bontekoe *c*). Cum enim opium inter præcipua medicamenta retuliſſet, ſic opinionem ſuam defendit: Hiervor erſchrickt ein jeder unwiſſender / und die Doctores mit dem Anhange der Apothecker fangen an zu ſchelten / daß wir mit ſchädlichen Dingen das Leben und die Geſundheit zu bewahren rathen. Aber man muß ſich an die Läſterer nicht kehren oder deſſentwegen von der Wahrheit abſchreiten. Denn das Opium iſt ſo wenig als ein Meſſer / womit man Brodt ſchneidet / böſe oder ſchädlich / und eben auff die Art / wie man mit dieſem einem Menſchen den Hals kan abſchneide / ſo ſchadet man auch mit jenem. Wie deñ ſelbſten

unſere Doctores mit ihren Seenisblättern und Rabarber, ſo ſie deſſen zu viel geben / oder zu öffters iemand damit um den Hals bringen können; was aber das Opium vor ein ſchädliches Ding ſey / kan man in Indien erfahren / woſelbſt es die Menſchen nicht bey Granen / ſondern ſtückweiſe / als ob es gleichſam Brodt wäre / bey eſſen. Doch dieſes gehen unſere Widerſacher vorbey *d)* oder ſie überreden ſich und alle Welt / daß unſere Nation ſolches nicht vertragen könne / welches doch die Erfahrung / wenn ſie darauf Achtung geben / widerleget.

a) Conſt. Crim. art. 37. ad qvam Confer Claſenium in Comment. ibid. Carpz. Pr. Crim. qv. 20. n. 7. & ſeqq. b) in Campo Elyſio Jucund. Qveſt. qv. 63. n. 12. ſeqq. p. m. 821. ſeqq. conf. Excell. Ammanni Medic. Critic. Caſ. 62. p. 384. c) vom menſchlichen Leben / Geſundheit und Tode *part. 3. §. 45. p. m. 390. ſeqq. d) Ipſe a Reyes exempla hæc Indianorum & Turcarum profert. d. l. p. 816. & tamen poſtea p. 821. ad ea non reſpondet.*

§. 12. Sed noſtrum qvidem jam non eſt, tantas componere lites. Sufficit ad noſtrum ſcopum, qvod ſententia, qvæ opium pro veneno vel venenato habet, ſive ea vera ſit ſive erronea, ſit communis, adeoqve, etſi Pharmacopœus ſententiam poſteriorem veram eſſe opinetur, non poterit tamen ſalva conſcientia & ne pœnam incurrat opium ſine præſcitu magiſtratus ac permiſſu vendere, qvoniam juramenta non ſunt exponenda in dubio ſecundum intellectum ejus, qvi juravit, ſed prout capere ſe illum profitetur is, qvi juramentum defert ſeu cui juratur. Hujus enim præcipue non jurantis cauſa juratur. *a)*

a) vide Dn. Pufend. de J. N. lib. 4. cap. 2. §. 15.

§. 22. Ad veneficii crimen etiam refertur magia. Hujus ſpecies eſt maleficium ſomnificum, qvando nempe veneficæ aliqvem potione, malo carmine & certis ritibus ſoporant, ut interea ei venenum infundant vel infantulos rapiant aut necent, vel furto qvid ſubtrahant, vel ſtupro adulteriove contaminent. Faciunt hoc aliqvando magi naturalibus remediis ſoporiferis, aliqvando appenſione membrorum alicujus cadaveris, aliqvando accenſis certis qvibusdam luminibus. Scilicet accendunt interdum pedes aut manus mortuorum, inunctas prius oleo qvodam a dæmone

acce-

accepto, vel ad ſingulos digitos candelulis affixis, interdum facibus excantatis de certi generis lychno & nota illis pingvedine, & utuntur vel accenſis ſibi prælucentes, vel eas domi certo loco defigentes accenſas, & ſopor durat, qvamdiu lumen illud ferale. Singula exemplis declarat Del Rio *a*). Atqve hos qvidem pœna ordinaria magis irrogari ſolita puniendos eſſe nemo forte dubitat.

a) *diſqviſit. Magicar. lib. 3. part. 1. qv. 2. p. m. 356. ſeqq. conf. Torreblancam de Magia lib. 2. cap. 22. p. m. 223. ſeqq.*

§. 23. Duplex autem claſſis magorum conſtituitur in Conſtitutione Criminali *a*), una eorum, qvi damnum dant alteri, altera eorum, qvi nullum dant damnum. Ulterius magi cum Dæmone vel pactum expreſſum habent vel tacitum, qvo poſteriori tenentur illi, qvi ſcientes adhærent ſuperſtitioſis obſervationibus, nec non ejusmodi operationibus, qvæ nec rectæ rationi conveniunt, nec a prudentibus probantur &c. *b*) Ad eorum igitur claſſem, qvi ſcientes adhærent ſuperſtitioſis obſervationibus neqve tamen aliis damnum dant, utrum & iis referendi ſint, qvi divinationem ex ſomniis exercent qværitur? Repetendum vero hic erit ex capite primo *c*), ſomnia eſſe vel divina, vel diabolica vel naturalia. Divina ad hanc qvæſtionem non pertinent, qvoniam hæc qvidem homo obſervare tenetur ſub peccati reatu *d*) & fere ſi hieroglyphica ea ſint, Deus ſemper ſpeciali aliqva illuminatione & per modum habitus infuſi virum aliqvem ſapientem excitat, qvi illa ſomnia exponat, ut ex ſacris literis exemplo Joſephi & Danielis conſtat. Diabolica autem qvod attinet, uti de iis non eſt dubium, qvædam a diabolo ad juſſum magorum vel petitum inferri, qvorſum reſpicere arbitror Irenæum *e*), dum diabolos qvosdam appellat oniropompos, hoc eſt, ut Del Rio exponit, malorum ſomniorum averruncatores & oſtentatores bonorum; ita nec dubium eſt, artem ejusmodi ſomnia exponendi pertinere ad doctrinas diaboli, adeoqve non male eandem ad magiam referri. Naturalium vero ſomniorum expoſitio etſi ad primum magiæ genus communiter referri non poſſit, qvin tamen ad ſecundum referri debeat, nullus hæſito, qvia non poterit non hæc divinatio ad obſervationes ſuperſtitioſas referri, qvoniam prima hypotheſis hujus divinationis, ac ſi anima humana in ſomno futura prædicere poſ-

re possit, pertinet ad observationes superstitiosas, qvod qvidem, ut puto, supra *f*) demonstravi ad oculum.

a) *art. 109. b*) *vid. Clasen. ad d. art. 109. p. m. 405. c*) §. 44. *seqq. d*) *Casp. de Reyes Camp. Elys. qv. 37. p. m. 458. Torreblanca de Magia p. 130. n. 49. e*) *citatum Del Rio lib. 2. disqvis. mag. qv. 30. sect. 1. p. m. 316. f*) *cap. 1. §. 35. & 47. adde omnino Zachiam qvæst. Medico-Legal. l. 4. tit. 1. qv. 5. n. 17. & seqq. f. 291. & 293.*

§. 24. Unde & a Deo severe hæc divinatio Judæis fuit interdicta, dum prohibet, ne sit inter ipsos, qvi lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qvi ariolos scisciteur & observet somnia atqve auguria. *a*) Et Propheta in nomine Domini interdicit ipsis *b*): *Ne attendatis ad somnia vestra, qvæ vos somniatis.* Qvamvis autem ex eruditis nonnulli hæc dicta velint ad somnia diabolica restringere, sit tamen hoc saltem ab iis, qvi persvaserunt sibi, qvasi anima hominis potestate divinandi gaudeat. Et contextus perspicue ostendit, qvod Deus divinationem omnem ex somniis (exceptis divinis) prohibere voluerit, eoqve spectant ea, qvæ fusius disserit Siracides. *c*)

a) *Deuteronom. cap. 18. b*) *Jerem. c. 29. v. 8. c*) *cap. 34. vers. 1. seqq. adde Zepperum lib. 4. expos. Leg. Mosaicarum forensium cap. 4. p. m. 284. & seqq.*

§. 25. Sed & Principes Christiani severe sæpius in somniorum interpretes statuerunt. Huc pertinent utriusqve Codicis tituli de maleficis & Mathematicis. Per mathematicos siqvidem intelliguntur impostores, qvi mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas, profitentur se fata cujusqve nosse & natalitias siderum observationes, qvibus similes arioli, aruspices, augures, vaticinatores, somniorum interpretes *b*). Sub capitis itaqve supplicio non solum prohibita fuit omnis divinandi curiositas *c*), sed & in specie inter reliqvas enarrandorum somniorum ars expresse fuit nominata, constitutumqve, ut qvi reus hujus criminis aut de jure suspectus esset, non aliter ac si læsæ majestatis crimen commisisset absqve ullo dignitatis privilegio torturæ subjici debebat *d*), qvod ideo haud dubie factum, qvod sæpissime contra freqventatas qvamvis prohibitiones super salute Principis

cipis consulti deprehenderentur Mathematici, qvod latius deduxit in erudito ad Codicem Theodosianum Commentario Jacobus Gottofredus. *e*) Qvin & Augustinus graviter invehitur in eos, qvi qvascunqve divinationes observant, qviqve attendunt somnialia scripta & falso Danielis nomine intitulata, qvam invectionem dignam judicavit Gratianus, ut Decreto eam insereret. *f*) Sed hodie certe moribus, ut puto, Imperii communibus connivetur huic somniorum interpretationi, qvo jure, qvave injuria, non dixerim.

a) *Theodosiani lib. 9. tit. 16. & Justinianei lib. 9. t. 18. b*) *Gottofred. in not. ad l. 10. de Episcop. audient. lit. k. c*) *l. 5. C. de malef. & mathem. d*) *l 7. C. eod. e*) *ad l. 6 de malef. & mathem. p. m. 125. f*) *can. Non observetis C. 26. q. 7.*

§. 26. Venio ad delicta carnis. Imputari in foro humano ea, qvæ in somniis lascivis contingunt, non solere, constat, qvale fuit somnium Julii Cæsaris, dum visus est per qvietem matri stuprum intulisse, ob qvod tamen ipse Cæsar etsi ethnicus confusus memoratur a Svetonio, *a*) qvamvis non putem Cæsarem vigilantem cogitationibus incestuosis huic somnio dedisse ansam. Magis vituperanda Biblis apud Ovidium *b*), qvæ

Spes obscœnas animo dimittere non est
Ausa suo vigilans: placida resoluta qviete
Sæpe videt qvod amat. Visa est qvoqve jungere fratri
Corpus & erubuit, qvamvis sopita jacebat.

Non tamen erubuit abeunte somno, optavit potius, ut

Sæpe-simili redeat sub imagine somnus.
Tesit abest somno.

Qvicqvid tamen hujus sit, non sunt pœnæ humanæ obnoxia ejusmodi delicta, sed justo Dei judicio relinqvuntur, partim qvod sint occulta, partim qvod per ea damnum non incurrat respublica.

a) *in Cæsare c. 7. b*) *Metamorph. lib. 9. vers. 467. seq.*

§. 27. Qvid si igitur cum alterius læsione conjuncta sint? Difficilior est inspectio. Puta si noctambulo dormiens aliqvam stupraverit, an ut stuprator vel adulter erit puniendus? Peterem prius casum, vix enim puto exemplum reperiri, qvod noctambulo qva talis concubuerit fœminæ. Sed jungit tamen Zachias stu-

prum noctambulorum cum eorum homicidio *a*). Repetenda igitur & hic ea esse puto, qvæ supra *b*) in controversia de homicidio distincte proposui, in tantum, ut etiam arbitrer juste puellam adversus ejusmodi invasorem, si aliter eum evadere neqveat, posse pudicitiam cum ejus internecione defendere. *c*) Illustrabit aliqvatenus dicta in hoc paragrapho sententia JCtorum Lipsiensium in casu ebrii (cui noctambulo non est absimilis) pronunciata, qvam refert Beatus *d*): Ist S. E. auff eine Nacht um des Seigers 2. in Meinung in sein eigen Hauß zu gehen und sich in sein Bette zu legen/in seines Nachbauern Hauß komen/und in desselben Schlaffkammer seine Stiefeln ausgezogen und sich in seines Nachbauern Bett geleget/darinnen biß auf den Morgen verharret. Wiewohl dañ desselben Nachbarn Eheweib auff den Morgen seine Stiefeln genommen/die gegen E. in die Gericht getragen und sich daselbst beklagt hat/das dann der S. E. nicht gestehet: So mag er solcher That/nemlich daß er die Frau solt fleischlich erkant haben/durch derselben Frauen Sage und Anzeigung der Stiefel allein nicht überweist werden; sondern so er zuvor an seinen Rechten unbeschulden / solcher That nicht berüchtiget wäre / und mit seinem Eyde auff dem Heiligen wie recht sich entschuldigen dörffte/daß ihm nicht bewust wäre. So möchte Ihn derhalben sein Nachbauer solcher Geschicht halben peinlich anziehen / es muß aber gleichwohl derselbige S. E. solchs / nemlich daß er bey der Nacht ohne seines Nachbarn willen in sein Hauß und Schlaff-Gemach gangen / sich darinnen schlaffen gelegt / gegen demselben seinen Nachbauern mit gesatzter Buß verbüssen / und derhalben dem Gerichte oder Richter eine Gewette geben.

a) *qv. Med. legal. lib. 2. tit. 1. qvæst. 12. n. 14. & 15. b*) *§. 14. & 15. conf. Zachiam d. l. c*) *argumento eorum qvæ diximus §. 17. d*) *de matrimonialibus Part. 2. tit. 20. p. m. 143.*

§. 28. Hæc de stupro dormientium in vigilantes. At qvid juris, si vigilans dormientem stupraverit. Utrum iste pœna stupri violenti poterit affici? Res non incommode dijudicari poterit ex decisione casus similis, de stupro cum mente capta commisso, furiosis siqvidem & mente captis, ut sæpius jam vidimus, in jure æqviparantur dormientes. Deprehendo autem inter sen-

ten-

tentias à Beato editas, anno 1549. m. Octobr. a Lipsiensibus et, qvi mente captam stupraverat, pœnam gladii fuisse dictatam addita illa ratione, qvod mente capta propter deficientiam voluntatis non potuerit consentire in stuprum, adeoqve id neqvaqvam pro voluntario, sed pro violento sit habendum *a*), qvam sententiã etiam refert Dominus Schilterus *b*), Qvamvis autem in dicta sententia simul illa circumstantia fuerit annotata, qvod stuprator deprehensus fuerit, cum mente captam vi adhibita pronam dejiceret, adnotavisse tamen ad istam sententiam Modestinum, (vel, ut Dn. Schiltetus *c*) vult, Hartmannum) Pistorem adjicit Beatus *d*), eum non placuisse subseqventibus temporibus, cum similis casus offerretur, qvoniam, etsi furiosa & mente capta non habeat consensum, stuprum tamen ejusmodi pro violento haberi non possit, cum mente capta non possit, nolle, qvia non potest velle; & ideo pronunciatum fuisse pœnam virgarum. Atqve hanc posteriorem sententiam confirmavit Serenissimus Elector Saxoniæ *e*): Wenn eine ledige Manns-Person eine wahnwitzige sinnlose ledige Weibes-Person beschläfft; soll er derselben nicht allein nach billiger Ermeßigung einen Unterhalt machen, sondern soll auch darüber mit Staupenschlägen vervieseu werden. Deprehendo eqvidem, qvod B. Carpzovius *f*) hanc constitutionem limitaverit, ac si procedat saltem eo casu, ubi absqve vi cum ejusmodi personis stuprum fuerit commissum, non autem, ubi qvis puellam non sanæ mentis per violentiam stupraverit, sed vereor, ut hæc expositio sit ad mentem Serenissimi, cum ille potius in dicta constitutione in genere videatur definire voluisse, qvod in personas mente captas non committatur stuprum violentum, ac ita in stupro violento non tam ad violentiam physicam qvam ad moralem, qvæ scilicet infertur personæ nolenti, respiciendum sit. Ita pro stupro violento non habetur, cum fœmina digito male pertinaci annulum detrahi passa fuit, etiamsi vis qvædam fuerit adhibita, v. g. qvæ tempore diurno in civitate paululum renitens, non clamans tamen & subsidia implorans, est violata. Nec obstat ratio, qvam Carpzovius Dan. Mollerum *g*) secutus affert, qvod Serenissimus in qvæstione de stupro infanti illato distinguat *h*), utrum id per vim an absqve ea fuerit illatum, ergo & eadem

dem distinctio hoc loco recte subsit, cum furiosi & infantes qvoad juris effectus æqviparentur. Nam respondeo, Serenissimum ibi de infante non loqvi, sed de puella adhuc impubere, ut ipsi dissentientes agnoscunt, at ab hac si infantia major sit, ad mente captam argumentatio non procedit, illa enim intellectum habet, hæc eo caret. Porro etsi arbitrer, Electorem Gloriosissimum etiam eum voluisse semper puniri gladio, qvi infantem nondum septennem stupraverit, nec sic tamen inferre poterimus ad mentecaptam adultam. Ibi enim dicerem (etiam posito, qvod ejusmodi infans in hoc qvoqve casu censeatur omni voluntate carere, & saltem ut animal considerari,) a lege dissensum præsumi, tum qvod non possit non sensus reluctari in infante ob dolorem, qvi ipsi hac parte infertur, tum qvod ejusmodi stupra, si non cum periculo vitæ infantum, certe cum cruenta & gravi vulneratione sint conjuncta, qvæ utraqve ratio in mente capta cessat, qvin potius, si hic ex conditione animali solum argumentum ducere debeamus, dicendum foret, in adultis potius propensionem naturalem & appetitum sensitivum præsumi debere.

a) *vide Beatum de matrimon. part. 2. tit. 26. p. m. 151. seqq.* b) *Exercit. 49. ad Pand. th. 102. p. m. 110.* c) *d. l.* d) *d. l.* e) *part. 4. const. 26.* f) *ad d. const. 26. def. 1. n. 4.* g) *ad eand. const. b) d. part. 4. const. 31.*

§. 29. His præmissis circa eum, qvi dormientem stupraverit, sic putarem distingvendum esse. Aut qvis crimen stupri dormiente ea, qvæ patitur, perfecit, qvod maxime contingere potest, si somnus remediis opiatis fuerit procuratus, & tunc puniri debet fustigatione a), nisi Judex & hic pœnam aliqvatenus, ob somnum personæ innocenti dolo procuratum, exacerbandam esse arbitretur; Aut nondum perfecit. Posteriori casu aut violentia adhibita frustra renitente stuprata scelus adimplet, aut blanditiis verborum eam in criminis partem trahit. Illo casu stuprator violentus erit, hoc pœna stupri simplicis eum afficiendum esse arbitror. Qvam & tunc obtinere puto, si perfecto flagitio persona evigilans consensum suum vel tacite declaret.

a) *arg. d. const. 26.*

§. 30. Pertinet ad delicta carnis & lex Julia de adulteriis etiam

etiam lenocinium mariti *a)* qvod graviter, & si qvæstus gratia factum fuerit, Jure Saxonico capitaliter punitur. *b)* Hæc autem pœna non saltem illi puniuntur, qvi uxores ad adulteria committenda sollicitant, sed &, qvi lucri gratia id fieri permittunt, v.g. ne hospites relinqvant hospitium *c)*, item, si fingant mariti se dormire, & permittant homines ad uxorem suam accedere, & postea cum adulteris transigant, pecuniam aliudve lucrum accipientes. *d)* Huc respexit Antonius Matthæi *e)* dum scripsit: *Planissima ea novella capite multat --- lenones, qvi nuptias prostituunt --- qvi uxores qvæstuarias habent, id est, qvæstus causa uxores ad peccandum impellunt aut peccare patiuntur. Nam qvi lacunar spectant, qvi non omnibus dormiunt, & feriunt vigilanti naso --- hi plus qvam ministri nempe architecti & autores flagitii sunt.* Qvinam vero sunt isti, qvi non omnibus dormiunt. Haud dubie in mente habuit Matthæi historiam, qvam refert Plutarchus: *g) Cabba Romanus invitavit ad cœnam Mæcenatem. Inde eum & uxorem suam cernens inter se annutantes, leni capitis inclinatione dormire simulavit. Interea cum qvidam ex servis foris arreperet ad mensam ac pinum intercipere suspiciens: Nescis infelix, inqvit, soli me dormire Mæcenati. Cæterum non est hoc fortasse mirum. Erat enim Cabba scurra.*

a) l. 2. §. 2. ad L. Jul. de adulter. l. 29. pr. eod. b) part. 4. const. 29. c) Brunnem. ad d. l. 29. n. 2. d) Carpz. crimin. part. 2. qv. 71. n. 24. e) de crimin. lib. 48. tit. 3. n. 11. f) Nov. 134. cap. 10. g) sermon. amatorio. p. m. 94.

§. 31. Hactenus de delictis communibus. Militibus qvædam peculiaria sunt crimina, inter qvæ est etiam, si miles in excubiis dormierit. Apud Romanos qvi nocte circuibat, a singulis vigilibus accipiebat notas & suas tesseras. Si inveniisset milites dormientes vel dereliqvisse custodiam, cum sociis attestationes accipiebat, & mane ad triarios producebat tesseras; ex qvibus cognoscebatur, qvi reliqvissent custodias, & tribuno custodiæ vocato res agitabatur, si damnaretur, fuste cædebatur *a)* Moribus nostris pleræqve constitutiones militares dormientibus in excubiis mortis pœnam irrogant *b)* non injuste. Nam pendet inde salus multorum, salus Reipublicæ. Ex hoc itaqve capite defendendum erit factum Epaminondæ, qvod supra *c)* recensuimus;

BIBLIOTECA GIORGIO ... UNIVERSITÀ DI ROMA

mus; ex hoc fonte ex parte addendæ sunt limitationes legibus istis pœnalibus. Scilicet cessare hanc pœnam capitalem debere tempore pacis, & ubi nullum periculum timendum: excusare a pœna morbum militis dormientis, modo talis sit, ut somnum vincere non potuerit, idqve evidenter demonstrare valeat; puniendum esse centurionem, qui statuto tempore militem ab excubiis non liberavit, & qvæ possunt esse similes *d*).

a) *Petr. Gregor. Tholosanus de Republ. lib. XI. cap. 9. n. 9. p. m. 682. b*) *vide ex pluribus Imperatoris Matthiæ* Artickels Brief *art. 39.* Holländisch Kriegsrecht *artic. 27. c*) *c. 1. §. 6. vide Pappum in notis ad Jus militare Belgicum d. artic. 27. p. m. 151.*

§. 31. Sunt & Sacerdotibus delicta peculiaria, qvale est revelatio confessionis. *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qvæ ei confitentur peccata alicui recitet, non propinqvis, non extraneis, neqve, qvod absit, pro aliqvo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat*; ita ex Gregorio notavit Gratianus. *a*) Posterius tamen pœnæ caput ab Innocentio III. mutatum est, & constitutum, ut loco perpetuæ peregrinationis ad perpetuam pœnitentiam agendam in arctum monasterium detrudatur ejusmodi sacerdos *b*). Vocatur autem reticentia illa sigillum confessionis, de qvo ex nostratibus fuse disserverunt Dn. Stryke *c*) & Adrianus Beyer *d*). Qvam impia vero & perniciosa de eo statuant Pontificii, videre licet ex iis, quos citat & excerpit Barbosa. *e*) Summam eorum fere exhibet Dn. Zieglerus *f*). Ad hanc credentiæ revelationem pertinet, qvod de Sacerdote temulento narrat Erasmus *g*). Qvidam exotis apud temulentum Sacerdotem peccata sua confiteri, ubi sensit hominem altum dormire, surrexit atqve abiit interrupto sermone. Hoc digresso successit alter. Cumqve rursus obdormivisset, excitavit hominem confiteus, non inqvit, audis, qvæ dico. Ille somno delirus, existimans eundem hunc esse, qvi prius cœperat confiteri, imo probe audio, inqvit, dixeras te effregisse scrinium vicini tui, perge cætera dicere. Hoc memingerat ex confessione prioris velut insigne, tametsi dormitans & semisomnis. At confessor ille exanduit, negans se unqvam fuisse scriniorum perfossorem. Hoc

igitur

igitur casu qvi successit, rescivit superioris arcanum. Putatem itaqve Sacerdotem istum poena revelatæ confessionis jure coercere potuisse. Etsi enim non habuerit propositum revelandi, etsi vigilia non semper sit in arbitrio hominis, præcesserat tamen culpa & imo dolus, qvod sciens & volens eo tempore, qvo sacris ipsi erat inserviendum, vino se inebriasset.

a) can. 2. dist. 6. de pœnitentia b) cap. omnis 12. x. de pœnitentia. c) dissertat. de revelatione credentia. d) tract. de Sigillo confessionis. e) ad d. can. 2. & ad d. c. 12. f) ad Lancelott. lib. 2. tit. 12 §. 9. p. 357. g) de lingva.

§. 33. Ad delicta intuitu somni commissa sed levioribus aut nullis notata pœnis referri possunt præterea tum (1.) intuitu loci, si qvis intra templum sive altare somnum capiat. Extat ea de re Constitutio Theodosii *a*) de securitate Asyli Ecclesiastici disponens: Postqvam enim paulo ante Concilium Ephesinum servi præponentis cujusdam viri immanem heri sui sævitiam ferre amplius non valentes Constantinopoli ad Ecclesias confugissent, & gladiis cincti ad altare prosiliissent, rogati ut inde abirent, nullo modo obseqvi voluerunt, sacrisqve ministeriis fuerunt impedimento. Qvin etiam complures dies strictos gladios tenentes, qvibusdam Clericis ipsos adeuntibus vulneratis sibi ipsis necem consciverunt *b*). Igitur ut adversus confugientium in Ecclesias vesaniam reverentiæ loci prospiceret Imperator, constituit ut in posterum non solum altaria & sacrarium vel Oratorium, verum extra id laxius aliqvod spatium, qvicqvid scilicet trans templum ad primas usqve fores ambitus Ecclesiastici erat constitutum, qvod cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, porticibus occupabatur, jus asyli extenderetur *c*). Hanc autem spatii latitudinem ideo se indulsisse ait, ne in ipso Dei templo & Sacrosanctis altaribus confugientium qvemqvam manere vel vescere, cubare vel pernoctare liceat, ipsis hoc Clericis religionis causa vetantibus, ipsis qvi confugiunt pietatis ratione servantibus. Ergo Clerici eos, qvi intra templum somnum vel cibum capere vellent, arcere debebant, & renuentes a divinis locis ad spatia illa exteriora turbare. (2.) Intuitu loci & temporis, si qvis in templo tempore ad sacrum cultum destinato dormiat, qvam in rem piam e-

didit libellum Ahasverus Fritschius *d*) Huc pertinet etiam omissio somni seu vigilia in cœmeteriis tempore nocturno. Occasione enim vigiliarum nocturnarum in solennitatibus a Christianis pie observatarum aliqvando data est Ethnicis maledicendi occasio de Christianis, & aliqvando qvoqve harum prætextu multa impudice clam commissa fuerunt. Elibertinum itaqve Concilium in Hispania *e*) prohibuit, ne fœminæ in cœmeterio pervigilent, eo qvod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant. (3.) Intuitu modi capiendi somnum si luxu qværatur somnus. Ita Salustius mores perversos Romanorum describens dicit *f*) eos dormire prius qvam somni cupido esset, neqve frigus neqve lassitudinem operiri, sed omnia luxu antecapere, hoc est, ante noctis frigora, qvibus alii homines qvietem captant, somnum qværere. *g*) Tangit eam Romanorum luxuriam Seneca sæpius *h*).

a) *l. 3. C. de his qvi ad Eccles. confug. l. 4. Cod. Theod. lib. 9. tit. 45.* *b*) *Socrates l. 7. c. 33. Nicephorus lib. 14. c. 32.* *c*) *conf. Jac. Gottofr. ad d. l. 4. C. Theod. p. 369. seqq.* *d*) *sub titulo* der sündliche Kirchenschläffer *e*) *cap. 35. vide summam Caranza p. m. 81. Conf. Petr. Gregor. Tholos. de Rep. lib. 13. c. 19. n. 17. p. m. 983.* *f*) *de Bello Catilinario p. m. 24* *g*) *vid. Rupertum ad d. l. Salustii p. m. 111.* *h*) *Epist. 55. 56. 122. Consol. ad Helvic. c. 9. & l. 2. de provid.*

CAPUT VI.

De

JURE CIRCA SOMNUM ET SOMNIA IN PROCESSU CRIMINALI.

SUMMARIA.

Apocha in somniis debitori indicata §. 1. Somnia vel propria vel aliena non faciunt indicium in delictis § 2. Ob Sophoclis somnium qvidam ab Areopagitis tortus §. 3. An somnus repentinus sit indicium veneficii? §. 4. Somnus an indicium innocentiæ in reo? §. 5. Confessio delicti a dormiente facta. Venefica in tortura dormientes §. 6. Qvid probare debeat, qvi pro excusatione delicti allegat somnum? §. 7. Interfectio

fectio in somno an mite genus supplicii §. 8. Crudele mortis genus per continuas vigilias §. 9.

§. 1. Restat ut videamus, qvid juris circa somnum intuitu processus. Et qvidem qvod processum civilem attinet, nihil qvod afferamus habemus, nisi forte huc referre velis somnium notabile, qvod Augustinus *a*) refert. Cum debitum repeteretur a qvodam, defuncti patris cautione prolata, qvod filio nescienti a patre jam erat persolutum, contristari homo gravissime cœpit. Anxio apparuit pater in somniis & ubi esset recautum indicavit, qvo invento juvenis paternum recipit chirographum. Sed ex hoc tamen somnio observationem Juridicam formare non poteris.

a) *in libro de cura pro mortuis gerenda Tom. IV. oper. p. 887. seqq.*

§. 2. Igitur pergo potius ad processum criminalem, ubi initio qværi poterat: An ex somnio indicium contra delinqventem sumi possit? Et siqvidem in genere ad hanc qvæstionem respondere debeamus, poterit qvidem ex insomniis conjectura a Medicis sumi de temperamentis hominum, qvam in rem extat liber peculiaris Galeni *a*), qvamvis & hæ sint conjecturæ saltem, non apodicticæ demonstrationes *b*). Sed hic magis qvæstio est de indiciis affectuum vel potius de indiciis virtutum aut vitiorum. De Pythagora referunt, qvod discipulorum suorum ingenia ex insomniis probaverit *c*). De Zenone Plutarchus *d*) refert, qvod voluerit ex insomniis suum qvemqve processum sentire, qvantum in virtute profeciisset, si neqve exultare ulla se turpitudine neqve admittere vel agere qvicqvam scelerate aut injuste in somniis videat, velut qvasi in profundo tranqvillitatis placidæ perspicuo visiones & motus animi perluceant ex doctrina hilares, qvod latius additis exemplis etiam ex doctrina Platonis Plutarchus declarat. Similis doctrina Epicuri, sapientem in somniis non alio affectu ob mentem bene compositam, qvam per vigiliam extiturum *e*); Qvippe.

Omnia qvæ sensu volvuntur vota diurno
Pectore sopito reddit amica qviet.
Furto gaudet amans, permutat navita merces
Et vigil elapsas qværit avarus opes. f)

Cæterum tamen hæc talia non ſunt, ut in proceſſu criminali indicia vel ad capturam vel ad torturam regulariter facere poſſint, ſunt enim plerumqve occulta, ac ſæpe fallunt, magisqve, ut ex dictis apparet, affectuum & inclinationum indicia ſunt, qvam ſingularum actionum externarum. Hæ enim principaliter puniuntur, affectus incidenter: Qvod vero ſomnia aliorum attinet, ea multo minus poſſunt eſſe ſufficientia indicia vel ad capturam vel ad torturam qvoniam ſupra divinationem animæ per ſomnia negavimus, etſi eventus aliqvando oſtenderit, per ſomnia tertii præternaturalia delicta fuiſſe manifeſtata, qvale eſt illud Arcadis cujusdam de ſocio a caupone interfecto, qvod referunt Valerius Maximus *g*) & Cicero *h*), qvamvis hoc exemplum Juſtus Oldecopi *i*) inter modos manifeſtandi crimina retulerit.

a) de dignotione ex inſomniis Claſſ. 4. oper. p. m. 432. b) vid. ſupr. cap. 1. §. 46. c) Hermol. Barb. l. 12. Ep. Polit. 46. d) qvem adm. ſentias te in virtute proficere p. m. 36. e) vid. Diog. Laert. lib. 10. f. m. 48. conf. Gaſſend. Philoſ. Epic. Part. 2. f. m. 29. 30. f) Claudianus præfat. ad lib. 3. de raptu Proſerp. g) lib. 1. c. 7. extern. 10. h) lib. 1. de divin. p. m. 1157. i) Obſerv. Crimin. tit. 2. obſ. ult. n. ult. p. m. 120.

§. 3. Unde non immerito ſimile de ſomnio Sophoclis exemplum caſtigatur ab Ærodio. *a) Ex æde Herculis cum corona aut patera aurea gravis ſurrepta eſſet; Sophocles Poeta vidit in ſomnis Deum ipſum indicantem furem. Is ſemel iterumqve neglexit judicium. Sed ſæpius admonitus venit in Areopagum & rem ſomnium q. defert. Areopagitæ jubent comprehendi, quem Sophocles nominaſſet. Is admota qvæſtione confeſſus eſt, & pateram retulit, inqvit Cicero. Nihil novi eſt eo indicio hominem comprehendi* (qvo hic reſpiciat Ærodius, neſcio. Moribus noſtris omnino qvid novi eſſet.) *Sed ſomnium valuiſſe ad liberum hominem torqvendum, profecto eſt qvod habet admirationem; nam qvantum ſit periculoſum in Judiciis moveri ſola opinione religionis, docet Lucianus in Alexandro. Cum apud Galatiæ præfectum a qvodam Paphlagone ſervi capitis accerſiti eſſent, hoc nomine, qvod filium ejus occidiſſent, prodito oraculo, per qvod arguebantur, beſtiis objecti ſunt. Et tamen iis ſupplicio affectis filius, inqvit, ex longa peregrinatione reverſus eſt. Qvamobrem exiſtimo, præter au-*

tori-

torìtatem Sophoclis, ſomniorum divinationem & ſummam eam interpretationem, qva pro religione facit, Areopagitas in voce & vultu ſacrilegi aliqvid animadvertiſſe, qvo moti decrevere, rei veritatem qvari per tormenta! Forte tamen hæc conjectura Ærodii eſt otioſa. Non eſt novum Areopagitas inepte judicaſſe. Argumento eſt ſylva deciſionum Areopagiticarum a Frehero edito.

a) Rer. judic. lib. 9. tit. 10. c. 1. p. m. 528.

§. 4. Qvoad indicia delictorum ſpecialia elegantem caſum de venenatione refert Zachias *a*): Nicolaus Copernis a cœna cum ſorore propria celebrata cum affluenter comediſſet & bibiſſet, in profundum ſomnum & ſtertorem lapſus eſt, a qvo nec ab adſtantibus nec a qvoqvam ullo ingenio excitari potuit, qvousqve poſt horam a cœna vigeſimam qvartam a ſomno excitatus qvidem eſt, ſed nec ad rem loqvebatur, nec qvemqvam familiarium cognoſcebat, admodum impotens dum videbatur, non tamen ullo membro remanſerat impeditus, etſi ad mentem nunqvam redierit & vix anno transacto Apoplecticus perierit. Irrepſerat apud fiſcum ſuſpicio venenationis, qvæ maxime cadebat in mortui Nicolai ſororem Luciam, qvæ marito jam a nonnullis annis orbata cum fratre convivebat. Prætendebatur ergo a Fiſco, illam venenum ſoporiferum in medicato vino fratri porrexiſſe, ut tutius de nocte cum Amaſio commorari poſſet. Fovebat hanc Fiſci conjecturam, qvod idem Nicolaus a ſorore jam ſemel ſoporifero medicamento potionatus fuerat, etſi id ſuum effectum non eſſet ſortitum ob abſtinentiam Nicolai; item Nicolaum fuiſſe in ultima ista cœna optimæ valetudinis neqve aberraſſe in ratione victus, & tamen illico a cœna in accidentia prænarrata fuiſſe lapſum; qvæ qvidem fere ſoleant ſeqvi ſoporifera medicamenta exceſſive aſſumta & contra naturam vini nimium poti ſint. Sed his non obſtantibus reſpondit Zachias, cauſam hujus morbi fuiſſe ebrietatem Nicolai; cujus reſponſi diſcuſſio Medicis eſt relinqvenda. Nos abſtrahendo ab aliis circumſtantiis putamus, etiamſi certum ſit, ſomnum repentinum a cœna eſſo indicium ſoporiferi aſſumpti, tamen idem indicium per ſe nec ſufficiens eſſe ad capturam nec ad torturam perſonæ, cum qva cœna celebrata eſſet; Non enim ſeqvitur: dormiens aliqvid ſoporiferi vel venenati acceperit, ergo

id a

id a convivante vel cibos præparante cibis aut potui fuit admixtum.

a) *Quæst. Medico-Legal. Tom. 3. conſ.* 25.

§. 5. Cum autem alias reorum favor major ſit in criminali accuſatione, qvam accuſatorum, inde qværi porro poteſt, annon ſomnus indicium innocentiæ reorum præbeat? Ita videtur, ſi qvis ea, qvæ Cicero refert *a*), penſitaverit. *T. Cælius Terracinenſis, homo non obſcurus, cum cœnatus cubitum in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inventus eſt mane jugulatus, cum neqve ſervus qviſqvam reperiretur, neqve liber, ad qvem ea ſuſpicio pertineret, id ætatis autem duo filii propter cubantes ne ſenſiſſe qvidem ſe dicerent, nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Qvid poſtea? erat ſane ſuſpicioſum neutrum ſenſiſſe. Auſum autem eſſe qvemqvam ſe in id conclave committere eo potiſſimum tempore, cum ibidem duo eſſent adoleſcentes, qvi & ſentire & defendere facile poſſent. Erat porro nemo, in qvem ea ſuſpicio conveniret. Tamen cum planum Judicibus eſſet factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſſe judicio abſoluti adoleſcentes & ſuſpicione omni liberati ſunt. Nemo enim putabat, qvemqvam eſſe, qvi cum omnia divina atqve humana ſcelere nefario polluiſſet ſomnum ſtatim capere potuiſſet, propterea qvod qvi tantum facinus commiſerunt, non modo ſine cura qvieſcere, ſed ne ſpirare qvidem ſine metu poſſunt.* Apertius Valerius Maximus *b*) *Somnum innoxiæ ſecuritatis certiſſimam indicem miſeris opem tuliſſe: Judicatum enim eſſe, rerum naturam non recipere, ut occiſo patre ſupra vulnera & cruorem ejus qvietem capere potuerint.* Mihi fratres iſti Cœlii magis imbecillitate indiciorum criminis commiſſi, qvam pondere indicii pro innocentia abſoluti fuiſſe videntur. Qvid enim; annon potuerant, ſi parricidæ fuiſſent, ſomnum fingere? Sane in ſimili cauſa cum Artabanus regem ſuum Xerxem ſceleſte interfeciſſet, filioqve regis juniori Artaxerxi narraſſet, ac ſi Rex a primogenito Dario per parricidium fuiſſet interfectus, poſtea autem cum ventum ad domum Darii eſſet, isque dormiens fuiſſet inventus, perſvaſit juveni, ac ſi Darius ſomnum fingeret, unde & interfectus fuit Darius. *c*) Meminerunt forte non pauci hic Lipſiæ, cum ante aliqvot annos qvidam in tumultu fuiſſet interfectus, ex duobus, qvos premebat ſuſpicio præ reliqvis, unum ex ſomno profun-

fundo ad carceres fuisse translatum, alterum ex quæsitis latebris fuisse protractum. Eventus tamen docuit, posteriorem saltem autorem fuisse rixæ, priorem homicidium commisisse. Cæterum uti Cœlii fratres adversus indicium a præsentia eorum desumtum per somnum liberabantur, ita frustra somnum pro sua innocentia adducebat Plautius Silvanus Prætor. Conjux ejus in præceps jacta reperiebatur. Prætendebat se somno gravem adeoque hujus rei ignarum fuisse, uxoremque sponte sumsisse mortem. Si a reliquis circumstantiis abstrahamus, adhuc favorabilior videri posset hæc excusatio. Ejusmodi enim præcipitatio minori rumore peragi poterat. Sed excludebatur tamen, partim quod turbata mente respondérat, partim, quod Tiberius cubiculum visitans reluctantis fœminæ & impulsæ vestigia deprehenderit. *d*)

a) *pro Roscio Amerino cap. 23. p. m. 205. seqq. b*) *lib. 8. c. 1. exempl. 13. c*) *vid. Justinum lib. 3. c. 1. d*) *vid. Tacitum lib. 4. Annal. cap. 22.*

§. 6. Probantur delicta cæteris paribus per confessionem delinquentis eamque vel spontaneam vel mediante tortura factam. De confessione spontanea delicti nullum est dubium, quin, si eadem a dormiente facta sit, non valeat, quia, ut supra aliquoties diximus, dormiens suæ mentis non est compos, sed furioso æquiparatur *a*), & referenda erit hæc confessio inter erroneas, quæ non nocet, cum confiteri non videatur qui errat *b*). Quod autem attinet confessionem mediante tortura factam historiæ de magis & maleficis referunt, sæpius in tortura sagarum non paucas siluisse, ac si nulla tormenta sensissent, imo aliquas in gravissima tortura tanquam profundissimo somno oppressas jacuisse. Prolixum hujus rei exemplum ex Damhouderio refert Gödelmannus. *c*) Quid ergo cum his vel similibus in tortura dormientibus Judex faciet? Varia remedia refert Del Rio, *d*) quorum tamen ipse nonnulla tanquam superstitiosa recte rejicit. Reliquorum pleraque ab ipso approbata exorcismis pontificiis vel aqua aut cera benedicta vel agno Dei & similibus judicem uti debere volunt, quæ nec ipsa pro genuinis habere possumus. Fere optimum & apud nos etiam non inusitatum remedium est abrasio capillorum in toto corpore, etiam in partibus secretis. Nam hoc modo sagam in dicto Gödelmanni exemplo, quæ in tormentis partim riserat, partim dormiverat, ad confessionem fuisse adactam, ex lectione ejus patet. Reperiebatur enim pergamena

quædam characteribus variis inſcripta crinibus partium ſecretiorum implicata, qua ablata malefica crimina ſua confeſſa eſt. Modo tamen maleficium ſomni & ſilentii veneficæ ſibi per ejusmodi ſchedulas comparaverint. Nam ſi ſomnus ipſis a dæmone medicamentis ſoporiferis fuerit conciliatus, ut regulariter notat fieri Del Rio, *e*) vereor ut iſta abraſio ſemper multum profectura ſit.

a) *conf. c. 2 §. 25. b*) *l 2. de confeſſ. lib 7. C. de Jur. & fact. ignor. c*) *de magis & veneficis lib. 3. c. 10. n. 38 p. m. 205. ſeqq. d*) *diſquiſ Magic. lib. 5. Sect. 9. p m. 739. ſeqq. e*) *d. l p. 739.*

§. 7. Qui pro excuſando ſuo delicto allegare velit, ſe in ſomno id perpetraſſe, v. g. alterum interfeciſſe, ei non ſtatim creditur, ſed ſi plenam abſolutionem conſequi velit, multa probare tenetur. Primo ſe habuiſſe antea conſvetudinem ſurgendi e lecto & ambulandi per cubiculum & ſimilia his gerendi, quæ delinquentem geſſiſſe conſtat. Secundo nullum ſe potuiſſe habere impedimentum in accedendo ad lectum vel cubiculum occiſi: Tertio ſe habuiſſe arma promta aut in vicino appenſa, neque multo ſtudio indiguiſſe ad ea capeſſenda. Rationes proponit Zachias. *a*)

a) *l. 2. tit. 1. qu. 12. n. 19. ſeqq.*

§. 8. Reſtat ut de pœnis pauca dicamus. Optima doctrinæ pœnarum illuſtratio a medicamentis deſumi poteſt. Haud enim dubito, quin fere omnes quæſtiones, quæ in hac doctrina occurrere poſſunt, ad ſimilitudinem medicamentorum definiri queant. Hinc etiam medicinalis dicitur pœna quæ proprie talis eſt. Ut itaque medicus operam dare debet, ut ne medicamenta morbo leviora ſint, nec ſumme etiam acria, quæ vitam ducant in periculum; ita & Princeps ſtudere debet, ut pœnæ non ſint mitiores delictis, neque etiam ſævæ nimis. De ſomno ita ſcribit Religionis Medici autor *a*): *Clementer Themiſtocles militem dormientem interfecit*, (puto eum reſpicere ad factum Iphicratis & Epaminondæ, de quo ſupra *b*) *mitius ſane ſupplicii genus, quam quod ullæ adhuc leges excogitarunt, quod adeo Lucani & Senecæ ingenium fuiſſe miror.* Quorum videlicet uterque a Nerone impetrato mortis arbitrio brachia ad ſecandas venas præbuit. *c*) Sed forte ſine cauſa Lucanum & Senecam taxat Thomas Browne. Eſto, mite genus ſupplicii fuiſſe interſectionem in ſomno intuitu militis ab Epaminonda occiſi, erat enim inopinatum; mite tamen eſſe nequit, ſi quis ipſe mandaverit aliis, ut eum in ſomno interficiant. Crediſne enim ejuſmodi hominem facile ad ſomnum perventurum,

rum, qui certus ſit, ſe vitam cum morte commutaturum eſſe? Credo potius naturalem mortis horrorem ſomnum eſſe impediturum, adeoque dubito, an jure pro miti haberi poſſit ejusmodi mors præviſa. Nec obſtat, quod Hiſtorici de Othone Imperatore Romano teſtentur, eum, cum jam ſerio deſtinaſſet, quod ſe ipſum mane craſtino interficere vellet, nocte ultima placide quieviſſe, *d*) illi quippe mors erat res proprii arbitrii nec homicidam ſomni tempore timebat. Hoc itaque ſupplicii genus, ut a legibus inculcetur, otioſum eſt, cum non mitius dici poſſit, ac v. g. pœna gladii, hic enim non cruciat ipſum ſupplicium, ſed præcedens morti timor, niſi dicere vele Brownium eo reſpicere, ut aliquis inopinato ac nulla publicata mortis ſententia in ſomno interficiatur, quod ipſum profecto turbaret maxime proceſſum criminalem. Accedit quod non admittat religio Chriſtiana delinquentem, cujus animæ quoque ratio habenda eſt, inopinato interfici in ſomno.

a) *part. 2 ſect. 12. p. 424. b*) *c. 1. §. 6. c*) *Tacit. lib. 15. Annal. cap. 63 & c. 70. d*) *vid. Tacit. Hiſtor. lib. 2. Svetonius in vita ejus.*

§. 9. Iſtud vero ſupplicii genus crudele magis quam Reip. utile, delinquentem privatione ſomni & continuis vigiliis necare. Unde eo magis cavillatio Romanorum in aperto eſt, qui cum Perſen Philippi filium in fidem acceperant, ac pacto vitam dederant, inſomniis interfecerunt. *a*) Rectius jure Conſulti Romani nihil intereſſe ſtatuerunt, interficias aliquem, an mortis cauſam præbeas. *b*) Excruciatus etiam hoc mortis genere fertur a Carthaginenſibus Regulus. *c*) Plura exempla ut adducamus non eſt opus, cum ante oculos adhuc nobis verſetur triſtis memoria Reformatorum Galliæ ſimili cruciatus genere tortorum.

a) *Salluſt. Fragm. hiſtor. lib. 4. p. m. 187. ibique Ludov. Carrio p. m. 215. conf. Ruperti obſervationes ad d. l. Saluſtii p. m. 546. b*) *l. 15. ad l. Corn. de Sicar. N. O. l. 7. §. 6. ad l. Aquil. c*) *vide Gell. lib. 6. c. 4.*

S. D. G.

Digitized by Google

Google

BIBLIOTECA
ISTIT

Digitized by Google